


Fredro

ANDREÆ MAXIMILIANI FREDRO
Castellani Leopoliensis

SCRIPTORUM
Seu Togæ & Belli Notationum
Fragmenta. Accesserunt
Peristromata Regum Symbolis expressa

DANTISCI
Sumptibus Georgii Förster S.R.M. Bibliopolæ. MDCLX
Cum Privilegio S.R.M. Poloniæ et Sueciæ.





AUTHOR LECTORI SALUTEM.



On diffiteor quidem hæc mea concisa scripta (quæ abruptum suggessit otium) me eo fine annotasse, ut aliquando publicam viderent lucem, veruntamen non tam properè volui, quàm tibi Lector legenda feruntur, aut enim iteratâ castigari debuêre limâ, vel quia plura non

contemnenda ſuperaddenda erant, quæ ſæpe à bono mihi occurrunt genio. Sed quoniam propter delicta noſtra (fateri enim ingenuè licet) ea temporum & rerum viciſſitudo poſt longam & raram populis felicitatem, chariſſimæ Noſtræ Reipublicæ repentè incubuit, ut non hominibus modò, verùm magnis urbibus & Provinciis adſit periculum, ab Oriente ſimul, Septentrione & ab Occidente, tum recentiſſimè à Meridie, quatuor potentiſſimis hoſtibus (ſi ſimul potentiam conferas) ducentis & quinquaginta ampliùs millibus armatorum, hac

illacve urgentibus; & quod ultimum malorum, civium diffidentia rem diſtrahente, verebar juſtè ideò ne hunc quoq; meum qualemqualem laborem aliquis involveret caſus, non levi (ut multi rebantur) curioſorum Lectorum damno, non abnuendum ergo duxi, ut hæc mea publicæ luci donarentur. Quæ dum legis, multa variorum Scriptorum ſapienter hîc occurrunt ſparſim dicta. Nec verò mirêre Lector, *quia cuique ſententiæ ſuus non appoſitus ad marginem liber & author; non enim hoc in aliquo ſeceſſu natum, aut triſtiori (ad cenſuram) Mu-*

ſæo ſcriptum, verùm quantum à civili converſatione & publicæ rei curâ ſurreptum temporis, tumultuario datum labori. Ideoque prout aliquid alicubi ſparſim à me lectum, prout animus juſſit, mens dictavit, calamus rapuit, hîc ſcriptum habes; ſufficit, ſi ea, quæ non mea ſunt, ſuperbus mihi non vendico, ac de meis, ſi quæ bona, ambitioſius gloriari ſuperſedeo, ſatis ad gloriam ducens, ſi Deo & Patriæ Laborem, tantiſque nominibus, nomen meum ſubſtravero.

I.

PRINCIPUM CHRISTIANORUM NORMA

Tribus & viginti monitis illustrata, ad quam se, suaque componere debeant, sed maximè usui Poloniæ Regum accommodata. Quam breve per otium Princeps legat & intimo recondat animo; reliquum pro Virtute sua adjecturus.

Adnexum Quartum & Vigesimum Monitum; *In re Bellica.*

PROLOQUIUM.



Rectè quærit ille, cujus rei inopiâ laborent summa fastigia; quid omnia habentibus desit? scilicet, *qui verum dicat.* Exinde Alphonsus Rex interrogatus, qui essent optimi consiliarii? Mortui respondit; Libros scilicet, & hæc talia mo-

nimenta intelligens (*Lipsius in Præfat. Politicorum*) qui nihil blandientes, nihil celantes, puram, meramque propinant veritatem, ſine reſpectu præſentis gratiæ, vel odii, quam ſi coràm loqui ſit neceſſum. Nonnullorum enim Principum ita formatæ ſunt aures, *ut aſpera quæ utilia, & nihil niſi jucundum aut læſurum accipiant.* Mihi itidem loqui ſcripto placuit. At quia dandum ſcivi aliquid venerationis (ex eo) ſummæ Majeſtati, quia brevibus agendum cum Principe; plura hac in Materia alii, ego ideò ſcripſi pauciora, partim ex mea, partim ex mente aliorum. Cur enim me pudeat ſapientum adferre dicta? aut cur ambitioſius immutata velut pro meis venditem. Da modicum otii quiſquis es Princeps & lege, idque tui non mei causâ, imò mei etiam, aut univerſorum, dum bene & ex virtute regis.

1. Principi gubernacula primùm capienti nihil utilius ad bonam famam, & boni regiminis ſpem in ſubditis excitandam, quàm ut ordines convocet, de publico bono in commune conſulturus; Quid à ſe fieri ſubditi velint? inquirendo.

2. Periculoſum & invidioſum Principi, unum aliquem ſupra cæterorum paritatem provehere, atque unius conſilio inniti, multis ideò conſilium & gratia communicanda, ut unus alterum contineat

neat in officio, tum ut pluribus gratificetur Princeps.

3. Sapienter fecerit Princeps, qui primo Principatus ſui anno (quoad ſecurè poteſt) ab omni bello abſtinuerit; ne ſi aliquid acciderit adverſi, primordia Principatus, odio ſubditorum (ſub titulo mali in futurum ominis) metiatur; unde *inviſum ſemel Principem ſeu bene ſeu malè facta premunt.*

4. Plerique non eam publicè dicunt ſententiam (ob metum offenſæ aut invidiæ, vel alia quavis ex cauſa) quam animo præconcipiunt. Ideò per alios privatim perquirat Princeps, quod quiſque hac vel de illa re ſentiat? Utiliſſimum verò fuerit rebus in arduis (togæ aut belli) in ſcripto exigere cujuſvis ſententiam, accuratior enim futura & explicatior, imò etiam liberior; plures enim ſcribere poſſunt quàm eloqui, imò majori cum ratione. In cauſis item & litibus potentium ſecretè animum cujuſque & ſententiam exploret Princeps, verius enim quiſque & fidelius ſenſum ſuum aperit in privato.

5. Nihil agendum aggrediatur Princeps quod in rem ſtatus ſit, niſi admoto communi conſilio. Si verò de ſua ſententia omnia voluerit agere, ſuperbum magis judicabo quàm ſapientem; Nam ut propria in cauſa amat ſibi blandiri affectus,

famâ, ſpe, metu, amore, opinione, reſpectu, plerumque deteriora ſequimur, quàm quod ſalubris conſilii melior ſors in arcano tenet, plures verò oculi plura vident quàm unus, neque unum poſſe hominem ſcientiâ ſuâ cuncta complecti. Jam ſi aliquis privatorum inconſultus erraverit! uti unius error etiam unius damnum eſt, Princeps nec errare nec ferre damnum poteſt, quàm totius populi incommodo, cujus bona malaque ad Rempublicam pertinent. Inibit Princeps agendorum conſilium, ut faciliùs exequantur populi, quod non in privatam imperantis libidinem, ſed publicam utilitatem à communi conſilio profectum, ſit verò illud ſanctum & æquum, quod privato arbitrio imperatum fuerit? tamen quaſi inconſultum ſit, diffidenter & minore alacritate ſuſcipient populi exequendum. Quatuor verò boni conſilii præcepta Principem obſervare oportuerit. *Primò*, ut ſublato offenſæ metu libertatem cuique permittat pro arbitrio ſentiendi quæ velit, ac proinde ſenſum ſuum ne prodat, quam in partem conſilii inclinet ipſe, ſed rem pro ſenſu cujuſque diſcutiendam in medio tacitus relinquat, ne cauſam ingerat aſſentiendi potiùs quàm cenſendi ex captatione gratiæ tuendorum Principis placitorum, præſertim ſi ſit Princeps, naturâ nimium ſibi com-

complacens, qui in ſpeciem conſulendo, non tuum conſilium quærit, ſed magis ſuum probandum cupit, & niſi habeat, improbat judicium alienum ſimul & offenditur. *Alterum*, ut conſilium ſecretum ſit, res enim magnæ ab eo ſuſtineri non poſſunt, cui tacere grave eſt. *Deinde*, ut citò conſultum exſequatur, neve agendi tempora cunctatione aut deliberando conſumat, magna enim in Republica momenta ſunt temporum. *Ultimum* eſt, ut eam ſententiam exequendam ſumat, non quæ doctior aut ornatior, ſed quæ à majorum inſtitutis & genio populi ſumpta ſit, vel (ut clariùs loquar) quæ cum natura Reipublicæ conveniat; Oraculi mihi inſtar dictum, *Ad conſulendum de Republica caput eſt noſſe Rempublicam*, ſæpe ad hunc ſcopulum alliſit ſæpe ſuaſoria ratis, cum multi tanquam in Platonis ſchola de Republica plenis buccis diſputant & ferunt ſententiam, ac de illa quidem quæ in idea ſit, non quam vivimus aut cui conſulere debemus. At ne medico quidem probato, iiſdem licet in morbis eadem ſunt remedia, ſed pro diverſitate naturæ hominum, formare alia atque alia opus habet, verùm qui tibi ſola Hippocratis aut Galeni præcepta vocatus ferat, neque naturam tuam quid petat, aut quid ferat, ſed librum de medicina ſpeculativa conſulat, medicum

ſimul & Veſpillonem accerſe. Falluntur ideò, qui *Italiæ* conceptus, ***Hiſpanorum*** arcana, ***Gallorum*** activitatem & artes, ***Belgarum*** induſtriam, ***Venetorum*** ſcitam (pro re nata) temporum, rerumque librandi artem, una in Polonia ſimul quærunt, ignari non eandem ineſſe unicuique populo naturam, & rerum momenta, ut quod alicui genti ſaluti pro natura, alteri accommodatum contra (ut ſic dicam) naturam, exitio ſit neceſſe, ac ut ſecundum climata & nationes alia corpora hominum craſſioribus cibis accommodatiſſimè nutriuntur & ſubſiſtunt, mollioribus non debilitantur modò verùm deficiunt, ſic Rerumpublicarum aliæ, ſubtilitatibus novorum Politicorum firmantur, aliæ corrumpuntur & ruunt. Tenui, ſpectavi & laudavi ſimul minutiora horologia, ſubtiliſſimè ad magnitudinem nucis caſtaneæ elaborata (quorum compòſituram & opus vix acutiori oculo dignoſcas) quàm pulchrè contiguo rotarum contactu ducuntur, & in minutiora momenta, quadrantes diviſi temporis nos commonent, ſed etiam ſæpe probavi, modò craſſior afflet ventus, humidior contingat aura, minutiſſimus pulviſculus aut plumula ſe ingerat, ne dicam adhuc ſi aliqua rotarum aut juncturarum parùm incurvata vel fracta fuerit? quàm derepentè totum pulcherrimum opus

opus turbetur, ut vix reparari poſſit, ipſâ ſibi in reparando ſubtilitate obſtante. Illa verò quæ ſub craſſiori malleo naſcuntur, non ſubtilitate quidem, ſed accommodatiori uſu & certitudine commendantur nobis, difficiliora deſtructu, faciliora reparatu, ſic ferè facilius Rempublicam in melius reduxeris, quæ magis ſimpliciorem aut practicam ad regulam compoſita, illâ, quæ ſubtiliorem (velut harmoniarum) concordantiam, ſpeculationem, arcana habeat, omnia quidem pulchra, verùm ſubtilia contactu, difficilia reductu. Non infrequenter itidem pro natura ſua ſimplici, hæc noſtra Reſpublica igneis ſubtilitatibus novorum Politicorum turbata, verius quàm firmata, quam non iſti ſcioli in rectum reducant, verùm illi potius, qui ſimplicioris & candidi pectoris, qui rectâ & apertâ præceptorum incedunt viâ, fide & amore in Rempublicam incorrupti, ſuorum amatores, exoticorum incurioſi, ſcilicet ut detracto fuco, juſtè, ſimpliciter, & ex virtute totum regatur, agatur; Neſcio verò, an non plus noxios bono publico cenſeam, qui multùm de inconſiderato habent zelo, parùm de recto judicio, iis, qui & malitioſi ipſi, & ſtudio bonis obſtant; Hos enim uti apertè malitioſos facilè agnoſcas, ſtatim etiam caveas, illi, quo magis ſpecioſi conatus imagine

rebus imponunt, eò gravius nocent, licèt non ſtudioſè? quid inde? cùm tamen per imprudentiam nocent: Intereſt Principi conſilium capienti, advertat diligenter, non quàm bona ſpecie aliquis narret, ſed quàm ad eventum proficuâ, ut ea potius ſequatur. Is ergo mihi conſiliariorum optimus, qui cum natura Reipublicæ loquitur, neque illud quod in idea optimum ſit, infert, ſed quod genio populi & rei naturæ convenit, fierive poſſit exequendo, ſuggerit. Qui aliter conſuluerit? ſciolus ille mihi, aut igneus ſit, ventoſi homo ingenii, ſpeciem rationis, non vim habens, & ſonum rerum captans non pondus, novandis potiùs quàm gerendis rebus aptior, qui tantum ſapit ex ore ſuo, natus ut ſententiis aliorum contradicat, adverſus peritos pervicax, cujus vis tota in lingua ſita eſt, proponendo non exequendo aptior, conſilii quamvis egregii, quod non ipſe adferat inimicus, ac ut aliquid ſui videatur adferre, etiam recta commutans (præſertim ſi ſit ex illis aulæ primoribus, quorum ſententia pro magnitudine muneris & opinione perſonæ, multum apud omnes authoritatis habet, parùm nonnunquam à ratione adfert conſilii, & quorum illatis non annuere, ferè ſit offendiſſe, nec ratione illi vincunt, ſed authoritate loci obruunt) demum cujus ſententia

oratio

oratio eſt, non ratio; Conſulat verò (ſæpe ſuggero) naturam Reipublicæ prudens conſultor, an illa capiat & ferat remedium? quàm ut ad præcepta Platonis, aut ſubtilitates Politicorum recurrat, quod ſi ex integro in melius rem reducere non poſſit, non deſperet & deſiſtat, ſed curet prudenter quomodo ab exitio declinet. Etiam nautam probaverim, non qui (proximus naufragio) diſputat, quomodo plenis velis dum ventus flat à puppi, littus & portus petendus ſit, ſed eum, quomodo inter adverſos fluctus (ſin aliter fieri non poſſit) utcunque fluctuer, neque mergar tamen. Verùm (ne in ea conſilii parte aliquid omittam) non in conſulendo tantùm in præſens, ſed in prævidendo antè quid accidere poſſit, boni Principis ac Regis cura requiritur, præſertim (ut alia omittantur) circa negotia exotica tractanda, in legatis aut mittendis aut recipiendis, circa fœdera aut paranda ſibi, aut diſſuenda ab adverſo, tum circa inferendum aut ſuſtinendum bellum, vel quidquid negotii cum externis in rem noſtram venire poteſt agendum, ſeu parando, ſeu cavendo. In quam rem opportuni videbuntur quidam privati archivorum præſides, id eſt negotiorum, (præſertim ab externo) venientium, ſeu procuratores, ſeu indagatores, ad informatio-

nem

nem Principis, tum consilii; Illi verò sint exoticæ Historiæ gnari, maturioris judicii, tum ingenui Cives (non illi absit Vespillones bonæ libertatis & Reipublicæ, ab externo ignei, avari, suspecti advenæ) quibus singulis, aut pluribus in singulas partes Reipublicæ & confines nationes, rerum momenta providenda committantur, si aliis demandentur res *Septentrionales*, videlicet Suecorum, Moschorum, Danicæ item, Livonicæ, Pomeranicæ, Ducalis Prussiæ, & *Hanseatici fœderis*. Alii intenti sint rebus *Orientalium*, Turcarum, Scytharum, Valachorum, Moldavorum, Transsylvanorum, ac versus Meridiem, Hungarorum. Reliqui observent momenta rerum à *Germanorum populis* Bohemia, item Belgio, Anglia, Gallia, Hispania, demum ab Italia, quæ Papam, Respublicas, Regna, Duces, majores aut minores continet, & à suo littore proximam sibi Siciliam prospicit, tum minores alias Insulas, ut horum omnium populorum non tantùm genium, mores, consilia, consuetudines, fœdera, ac ipsius status momenta prudenter observent, tum insuper ipsorum Principum in præsens virtutes, vitia, consanguinitates pernoscant, sed maximè cujusque (ab antiquo) gentis vernaculam Historiam revolvant, situm præterea terrarum advertant, commo-

moditates portuum, marium, fluviorum, partim ab iis qui ea peragrando viderunt, partim à tabulis *Geographicis* perquirant, & quæ omnia in præsens (vel potiùs dicam in horas) in illis gentibus fiunt, per substitutos tabellarios & rumores indagaturi, ut sunt bella, fœdera, seditiones, accessio aut diminutio virium, tum quæ nobis cum illis gentibus intercesserunt ab antiquo negotia, aut quæ intercessura sint, quæ nobis obesse? quæ prodesse possint? Ut si aliquid negotii ab externo veniat tractandum, non difficulter aut discutiatur, aut caveatur, aut petatur à præcognita & benè prævisa prius ratione. Non sine causa verò, quaternos, quinquenosque in singulas partes gentium oportuerit substituendos prospiciendo, haud enim tantæ moli unius hominis studium, sedulitas, mens, & ingenium sufficiat in omnes partes, præsertim cùm non superficialiter libandas (ut ajunt) res, verùm penitiùs noscendas in rem profuerit; Optimos verò ei negotio putabo, qui aut linguas callent, aut magis in earum nationum mores proni, vel quibus facilior de his gentibus sciendi subest commoditas; fieri enim potest, ut aliquis res Germanicas probè norit, Turcicarum verò aut Moschoviticarum ne minimam notitiam habeat, aut habere possit. Post exoticas res, jam dome-

sticæ

ſticæ majori ſedulitate occurrunt tractandæ, præſertim circa armorum curam. Non obfuerit quoſdam è minoribus ſubſtituere, qui privatim inquirant, ac de iis quæ meliora factu ſint, referant Regi & Reipublicæ, circa præſidia (videlicet) fortalitiorum, limitum ſecuritatem, commeatum, arma, ſtipendia, diſciplinam militum, quid in melius fieri? quid provideri poſſit, & quomodo? Supervacanea hæc dixeris quæ ſuggero? tibi non ſequi licitum, me tamen circa optimum ſuadendi conatum quæſo acerbus cenſor relinque: Veniet alius cui ſuperbia non obſtabit, quominus etiam hæc (tenuia licèt) placeant ſequendo.

6. Errant plerique Regum, cùm velata aut poſthabita Majeſtate (quaſi tum maximum ſe recreaturi) volunt ſub privati perſona eſſe (ut ajunt) incogniti. Prudenti verò Principi ne per jocum Majeſtas deponenda, etiam inter hilaria memor ſit Majeſtatis, paritatem quandam familiaritas inducit, ideò vitandi Regibus leviores joci, luſus, & ſuperflua comitas.

7. Auguſtus Cæſar populare credidit miſceri aliquando voluptatibus vulgi. Prudenter tu quoque Princeps adhibe, & modicè adſis, medius inter gravitatem & comitatem, non effuſus. Invitatus verò ſi abeſſe volueris? excuſare ab-

absentiam potiùs, non studio effugere videaris, *sævæ & superbæ cogitationis indicium est, secreto suo satiari.*

8. Rectè ait Lipsius, *Modus est sal & anima virtutum*, ut enim nullæ sapiant dapes sine conditura salis, aut nauseam salsedinis moveant, si nimiùm condiantur; sic Regia virtus vitium redolebit, ni modus adhibeatur; Majestatem imperii salutis esse tutelam, hanc parandam Principi quis dubitat? Majestas enim Principem defendit, hæc est quod timeamus jussa aliquando senis & invalidi; sed nisi modum Princeps teneat pro authoritate superbiam & fastum induet. Inde adhibendã esse *Comitatem* & *Modestiam*, idque cum *Modo*, nimia enim comitas familiaritatem, familiaritas paritatem, ac proinde contemptum inducit; vel ut ait ille, *Continuus aspectùs minùs verendos homines assidua satietate facit.* Jam de *Justitia* quid adferam? eam exequi omnino Princeps debet, nam si prohibita impune semel transcenderit, neque metus ultra, neque pudor est; neque ideò magnis esse parcendum, qui quò altiùs ceciderint, tantò plus formidinis in cæteros dispergatur, ne prout potens vel inops reus, infirmum sit aut validum; sed hîc quoque modum requiro, ne quoquomodo comperta aut objecta pro approbatis habeat, quis enim innocens erit, si accusasse sufficiet? sed cuique de-

defenſionem tribuat, detve tempus quo crimina diluat, nam proprius metus validam quoque eloquentiam excutit, ſi derepentè reſpondendum, ne damnatus ſit antequam reus, inauditus atque indefenſus tanquam innocens pereat, & reum ſe eſſe tantùm pœnâ experiatur, ne Princeps gravior remediis quàm delicta ſint, neque utilitate publica, ſed quaſi in ſui unius ſævitiam (quanquam ſontes) in ſupplicium trahat, inde loco juſti ſeverus & crudelis audiet. Severitas verò amittit aſſiduitate authoritatem, ut qui timere deſierint, odiſſe incipiant; quis mihi Princeps ille? ſub quo dies nullus vacuus à pœna, & quo tempore à verbis profanis abſtinere mos eſt, vincula & laqueus inducantur? aut quod mihi illud regnum? quam ſi feris leonibus, aut ſerpentibus imperium & nocendi poteſtas in nos concedatur, adhibenda ideo eſt omnino in temperamentum ſævi rigoris *Clementia*, ut omnia ſciat, non omnia exequatur, Princeps, non ſemper pœnâ ſed ſæpius pœnitentiâ contentus ſit, ſupplicium enim hominis oblivio ſequitur, ſin caſtigatum incolumem ſervaveris, æternum exemplar ſeveritatis & clementiæ futurum; *ſuperſit quem peccaſſe pœniteat*: pœna igitur ad paucos perveniat, metus ad omnes. Neque tamen Clementiam voluerim ſine modo; quæ enim authori-

tas

tas ejus Principis? apud quem conditum aut conſtrictum ferrum eſt, quàm ut in majus accendat illecebram peccandi inani ſpe impunitatis, unde verè dictum, pejorem eſſe Principem ſub quo omnia licent, quàm ſub quo nihil. Jam *Liberalitas* & *Munificentia* Regiarum virtutum non poſtrema, quæ mihi etiam *ſine modo*? niſi ut omnino prodigalitas vocetur, ſi ea largiatur Princeps, quæ tuendæ Regiæ dignitatis & Reipublicæ impenſis neceſſaria ſint, aut ſi omnino abſint, in exitium vertantur, ſi omnibus, ſi ſingulis det Princeps, quis finis? ſinguli nunquam exſatiabuntur, Reſpublica deficiet, unde ſi ærarium per largitiones exhauſtum fuerit, per ſcelera ſupplendum erit. Falluntur Principes quibus luxuria ſpeciem libertatis imponit, perdere multi ſciunt, donare neſciunt, dant immeritis, dant obviis, dant primò petentibus, aut audaculis intruſoribus, imò non dant, ſed quaſi opertis oculis & cæca ſorte projiciunt, dando verò Princeps accepit qui digno dedit, det potiùs bellorum ſociis, periculorum conſortibus, in toga de ſe Reque publica meritis, aliis præmia, cæteris exempla; temperabit verò prudenti diſcretione, quid & cui dare debeat, vel an etiam dare: In quo itidem modum tenebit, ne dum ſcrupuloſiùs in cenſuram vocat cui dandum ſit?

Pri-

Primò cunctationem dandi induat, deinde dare dissuescat, & vendere quàm donare malit, ex Principe factus nundinator; Quis verò pro illo Principe laborem & periculum sumat, apud quem aurum non virtus in occasionem præmii cedit. Teneat modum per omnia Princeps præsertim circa Majestatem & Justitiam, quæ maximè in lubrico sunt, ne aut superbus, aut crudelis audiat.

9. Principis aula sit per omnia honesta, morum & virtutis publica Schola; curet Princeps, ut è toto regno ternos denosve è singulis Provinciis, præcipuos indole juvenes, in aulam accersat, aut sponte det ipse veniendi occasionem, qui præter illud quod latus Principis honestâ cingent coronâ cum authoritate, verùm etiam certum obsidium fidei & amoris futuri, parentum, amicorum, præcipuorumve incolarum, quorum illi sanguis sunt; verùm hi non solum per honesta aulæ servitia, sed etiam exercitia adhibeantur, ut statis diebus sub oculis Palatii publico velut in theatro, arcu, sclopo, hastâ, ad metam in equis decurrant, adhibitis in eam rem peritioribus, qui sibi exercitio, cæteris exemplo sint boni, imperitorum correctores, & incitatores alacrium, inde æmulatio in virtutem, & incitamentorum maximum, à Principe videri & aspici;

jam

jam legionaria Prætorianorum cohortium exercitia videant, imò ſumpto pilo & ſclopo, Prætorianis intermiſti rem militarem exequantur; tum publicis judiciis interſint & apertioribus conſiliis, quaſi inde ſeminarium miniſtrorum, conſiliariorum, belli Ducum, Princeps habiturus ſit. Prudenter verò fecerit quiſque Regum, ſi in templo, in cubiculo, ad menſam, diſcurrendo aut venando, domi aut extrà, feſtis, profeſtisque diebus publicè agat; generoſi enim Principis eſt & virtutis ſuæ conſcii, non quærere latebras & ſeceſſum (quod ignavorum) ſed potiùs in publico cupere morari, quo major detur omnibus inſpiciendi ſui occaſio, ut cum ſinguli videri volunt, omni in parte diligentiam cum induſtria & virtute coràm probent, ſecus ſi non videantur, velut nullus ſit ſuæ diligentiæ uſus, pauci primò, mox nulli Palatium adeunt, imò aulam Regis ſequi dedignantur. Prodeat igitur quotidie in apertum Palatii Princeps, aliquam daturus horam quâ ſingulos videat, ac ipſe videatur, alios nutu, modico alloquio alios, reliquos hilariori aſpectu, omnes verò ſui præſentiâ dignaturus, creſcet ſubinde incolarum amor ex confidentia, & miniſtrorum acuetur diligentia, quam non ut ignotam ſuo Principi, teſtatam ferent.

10. Pu-

10. Publicarum Scholarum bono Principi maxima cura ſit, ut doctos Magiſtros ferant, qui honeſtis artibus imbuant juventutem populi, unde conſulendo Reipublicæ dignitati & commodo parantur ingenia, & induunt decoram morum humanitatem, imò aliunde viros doctos in ſuum regnum largioribus præmiis alliciat, qui ſuum populique nomen, non morituro calamo in æternitatem conſecrabunt. Quæres ſubinde: an etiam honeſtum per otium Principem lectioni invigilare ſuadeam? certè proloqui haud expeditum, dicam tamen ut tabulis Geographicis Provinciarum immoretur pro accurata notitia regnorum, deinde (ſi tempus ſuppetat) Julium Cæſarem, Salluſtium, Curtium, tum Livium, ac inter recentiores Philippum Cominæum legat, Famianum Stradam, Orichovii Annales ejuſque Fidelem ſubditum de Inſtitutione Regia, & per omnia domeſticam probati Authoris Hiſtoriam, ſæpe verò utrumque *Senecam*, præſertim alterum in moralibus. Demum pro ratione virtutis & formandæ in melius conſcientiæ, vitas Sanctorum Principum, imò quorumvis Divorum. Quo enim monitorio in melius formetur Princeps quàm illo Sancto Divorum? aut quomodo non bonus fiat regendo, cui virtus & Deus verſabuntur præ oculis;

re-

reliquos authores non requiro legendos, aliis enim implicari, ab aliis nolo depravari Principem, miraberis dictum qui Scholasticus es, certè non ille qui momenta rerum penetras, neque Regna & Rempublicam specularis, verùm agis intimé. Multi enim Historicorum dum incautius exprobrant imperantium vitia, peccare legentem docent, tum alia ex causa, quam reticere magni mihi loco arcani sit, vidit verò antiquus & recens orbis meliores Regum, non qui altum doctiores, sed qui mediocriter & magis practici fuêre, nec fucatæ virtutis.

11. Uti lætiori fortuna non intumescat Princeps, etiam mærore non frangatur, sunt enim quidam impotentes animi, ut si quid adversi accidat illis, infra fæminas se abjiciant, si modicum ex optato fluat, supra homines assurgant, magnum potius habeat in utraque fortuna robur, nec minus hominem se quàm hominibus præesse cogitet, cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus sit, tantò se magis in lubrico censeat, non barbara illa barbaro ab ore vox ad Alexandrum? *An ignòras magnas arbores diu crescere, unâ horâ extirpari. Leo quoque minimarum avium pabulum fit, & ferrum rubigo consumit, ut nihil omnino tam firmum sit, cui periculum non fiat etiam ab invalido. Fortunam ideo tuam*

 pressis

pressis manibus tene, nam lubrica est, impone felicitati tuæ frena , facilius illam reges. Jam verò secus quanquam inter adversa salvâ virtutis famâ & ex memoria prioris fortunæ agendum, non vultu demisso aut supplex, sed infra animum suum ducat quidquid acciderit, adversa insularum loco habiturus, concutietur sed non frangetur tamen, quidquid licèt fortuna sibi ademerit, virtutem tamen non adimet, quâ cuique Regum par esse potes ; magnitudinem & gravitatem summæ fortunæ memoriâ retinens, si verò pertinacius fortuna & insurgentium potestas presserit, vel sub nomine tamen Principis, licebit honestè mori, frustra verò adversantium superbiam per obsequium & modestiam effugeris; neque aliud proficies, quàm ut acerbius contra te peccetur, velut ex facili toleraturo. Non imiteris *Vitellium*, quem ea torpedo animi invaserat, ut si Principem eum cæteri non meminissent, ipse oblivisceretur, nega te potiùs, minis terroreque fortunæ vinci, infractus animi.

12. In magno Rege & cujus imperia latè sparsa ad suorum animum conciliandum plurimùm prodest, si è singulis (quibus imperat) Provinciis, apud se delectos habeat, quos vitæ integritas, longaque suarum rerum cognitio commendat, qui publica privatis præponant & Provinciæ

suæ

ſuæ res ex fide agant, ut ſuas, non alienas, tum de potioribus incolis referant Regi, quoniam perarduum Principi noſſe omnes, unde ſi per ignorantiam aliquos negligentius habeat, ſummam ſibi in populo invidiam conciliat Princeps, ut eò plures ſint inimici, quò plures ſunt benemeriti. Annales noſtri ſuggerunt, pulchro more & inſtituto Reges Polonorum, ex uno Palatinatu in alium commeaſſe, juſque Provinciis dixiſſe, inde in adventum Regis, incolæ animo & virtute erigebantur, verebantur nocentes, ſpes aderat obnoxiis, cùm facilè injuriæ præſenti Principi deferrentur, ille verò ab occaſione ſuæ præſentiæ omnia in melius curabat, ſuccreſcebat tunc Regi majus ſtudium publici boni, familiaritate populorum, & (quibus dominabantur) locorum, illa muniri, illa in melius mutari; occaſiove deerat laſciviis aulæ, quæ plerumque ab otio amant provenire, cùm aliàs unico incluſi Reges loco, paucis in familiaritatem ſecreti admotis, ſibi ſuiſque indulgent, quaſi remoti ab arbitris & aſpectu populi; ſi factum diligentius aliquis perpendat, videbit tunc bene creviſſe rem Polonam, cùm omnes ſuum Regem, omnes Rex ipſe noſcebat, neque ex falſo obtrudebatur Principi, ſciolus pro prudenti, temerarius pro forti & audaci, quacunque in

re trepidus pro conſiderato, audaculus intruſor pro diligenti & peritè ſedulo, ſed vera ex virtute quiſque ad munia Reipublicæ vocabatur, vidit verò ſecus noſtra ætas aliquos Reipublicæ miniſtros, vano ex reſpectu lectos, quàm quos forſan meliorum fortuna Reipublicæ in occulto tenuit.

13. Non Reges tantum aut Principes, ſed æſtimati quique in Orbe viri, caveant in mutuum exterorum prodire colloquium, major enim Regibus admiratio in abſentes, contemptus in præſentes, cùm plerumque abſentia miremur, laudemuſque non viſa, & omne ignotum pro magnifico ſit, in præſentia facilè occurret aliquid, non laudandum, non venerandum, non amandum, non timendum, ut verè dicatur: *Minuit præſentia famam*: De loco oritur certamen, unde ſi cedas? ſuperiorem agnoſcis, ſi capias locum prior? ferè offendas, tum ex comparatione parium perſonarum plura in contemptum trahi poſſunt. Non fortunatus Caroli Burgundiæ Ducis cum Friderico Imperatore congreſſus fuit & aliorum paſſim, quos longum foret recenſere. Niſi fortè fiat congreſſus interjecto flumine & ſepimento, tum eo apparatu quem ſuggerit *Philippus Cominæus* (libro *VI* Commentar.) de congreſſu *Ludovici Galliæ*

&

& Eduardi Angliæ Regum, veruntamen neque id süaserim, sed potius ut per delegatos utriusque partis Principes conferant inter se, quàm ut secum colloquantur.

14. Augustus Cæsar, detectas injurias non arguit ultrà, quàm ut edicto ostenderet esse sibi notas, & acerbè loquentibus satis habuit pro concione insinuasse, *Ne perseverarent*, unde honoribus auxit aliquando, quos sibi adversari credidit, tum alter Cæsarum, duos Patricii generis convictos in affectatione imperii (seu quod sibi insidiarentur) nihil amplius quàm ut desisterent monuit, si quid præterea desiderarent? promittens se tributurum, nec solùm illos familiari cœnæ adhibuit, sed insequenti die, gladiatorum spectaculis circum se ex industria locavit; Crevit hinc illi nomen, ut humani generis amor & deliciæ nominaretur, observatumque neminem exinde in illum insurrexisse; rectè Tiberius (teste *Cornelio Tacito*) *Accusatum Libonem ornat prætura, convictibus adhibet, non vultu alienatus, non verbis commotior, cunctaque ejus dicta, factaque cum prohibere posset, scire malebat.*

15. Qui tibi in adipiscendo Principatu aut aliqua in re contrarii fuêre, illos tibi parabis amicos, ingenui enim sunt, si enim sine metu offensæ pro virtute palam contraveniebant, etiam sine metu periculi,

 omni

omni in caſu pro te ſtabunt, ſi amicos paraveris. * *Fallere hæc ingenia neſciunt, ſanè non didicerunt, conſtantia enim & candor individuo nexu connectuntur, nec in forti pectore, ſtabulari ſimulatio ſolet, mollis hæc animi eſt & muliebris ingenii, conſtantia & robur plus de leone mutuantur, ſimulatio & dolus vulpem redolet & ignavum pectus, quod virtutis ſuæ diffidentia laboret; Quare inſidiæ illi & doli pro virtute ſunt, Reipublicæ ergo functionibus hos admovendos cenſeo, fidem diligentiâ probabunt, neque patientur ſe benevolentiâ & fiduciâ vinci, antè immorietur operi vir fortis, quàm ut beneficium maleficio compenſet: Vtere ergo quicunque imperio potitus es, & paulatim etiam ad magna provehe, non uno ſaltu ſed quaſi per gradus, quo certior de fide & animo fias, benignis etiam verbis ultro compella, & non rogata maximè beneficia largire, quibus potentiſſimè hoſtilitas deponitur, amor provocatur.* Adde, quia minutiori impenſâ, hi trahentur in amicitiam, quàm illi (partium promotores) retinebuntur, licèt enim plurima acceperint, majora ſine ſatietate exſpectabunt, velut debitum præmium operæ præſtitæ, ſecus illi cùm parùm munificentiæ tuæ ſenſerint, velut in immeritos collatæ, erunt gratiſſimi, eoque facilius tibi ex virtute adhærebunt, quia moderati animi ſignum dabis, cùm non vindicas injuriam.

* *Scribanus in Polit.*

juriam. Omnino dicam, hos primò adversantes fore constantissimos, ut ante fuêre constantes adversarii, sic (si paraveris) futuri constantes amici, illi verò, qui ad amicitiam tuam respiciebant, fecêre plerumque tuæ illustris fortunæ, & sui proventuri emolumenti respectu, quo cessante (aut saltem si non ex voto cadat) non solùm in pejus mutabuntur, verùm etiam quàm facilè aliunde illustrior alluceat spes accepti, tam facilè deserturi Principem; miraris? Tuam fortunam non te sectabuntur majoris semper amici.

16. Sit licèt pientissimus & sanctus Princeps suo in angulo & privato secessu, nisi tamen pius publicè videri velit, peccat in populum exemplo, *persona verò Principis non solùm animis, verùm etiam oculis servire debet civium.* Nemo scit qualis sit privata Principis vita & interior secessus, ni oculis spectantium subjaceat, plerumque verò populus conformat se exemplo Regis, & quo inclinari videt, sequitur; quasi placiturus, & gratiam exinde Principis aucupaturus, rectè enim facere cives suos Princeps optimus faciendo docet; Adsit ideo publicè sacro, publicè confiteatur, jejunet non in privato, sed sub oculis omnium sit frugalior mensa, Eleëmosynam det publicè, idque sua manu, quidquid sanctum facturus privatim,

ſibi profuturus in meritum, quidquid publicè? in populi exemplum; & facere omnino tenetur, plus tracturus ad virtutem exemplo, quàm imperio. Famâ verò & opinione Principis res conſtant, quem pium & virtuoſum populus credit, velut omnia cum bono Deo agentem, ejus imperium ut juſtum ſine ſuſpicione doli facilius ſuſcipit, & adverſari illi metuit, pro cujus partibus ſummum illud Numen ſtare pro virtute arbitratur. Inde prudens Princeps non magis eſſe quam videri probus & pius velit, ſecuritatem imperii exinde auſpicaturus. Videat ergò, ne ritus ſacrorum inter ambigua culti, per proſpera obliterentur, ſed potius ſemper ſummum Numen colat, pace ut florens & diuturna ſit, bellove, ne diu malis armorum vexetur. Ideoque non minor Catholico Principi in cultu ſacrorum, quàm in re populi politica cura ſit, eſt enim quiſque Princeps ſuo in regno primus religionis pro potentia cuſtos, pro authoritate & pro imperio propagator, eſſeque omnino debet ni malus ſit; neque Politicorum igneis ſubtilitatibus depravetur, qui coloratis in ſpeciem, verbis, audent imponere Principi rationes ſtatus haud poſſe per omnia accordari, cum rationibus conſcientiæ, ut nonnunquam deflectendum ſit ab iis, quoniam tanto fructu in publicam penſantur,

ſantur, nonnulla enim ſine aliquo dolo perfici (ſic illi blaterant) aut rectâ virtutis viâ retineri non poſſunt: Imprudens potius vox, impia, erebi miniſtra; Potius quiſque bonus Princeps & civis, in leges conſcientiæ & Divinas adeò intentus ſit (modò tamen extra titulum ſuperſtitioſæ devotionis) ut publici commodi jacturam malit, quàm harum aut patiatur aut ſuadeat, amat enim Deus feneraria commodorum redhibitione bonum zelum penſare, ardua vertendo in facilia, periculoſa in tuta, quorum alias rationem humana mens non aſſequatur & vis miretur; vel ſecus ſi neglectim tranſeatur Divinorum ratio, ea quæ videntur publicè accommodari in melius, potius labirinteo confuſa gyro in contraria (ſenſim) impelluntur fata. Rem ſacram loquor, ſacris uti licet exemplis. Quis igneus ab Hetruria Politicus ſuccenſeat Regi *Jeroboam*, ac non laudet potius prudentiam, quod ille diverſo ſacrorum cultu obviare ſtuduerit, ne ſuus populus commeando Hieroſolymam, legitimorum ſacrorum occaſione & familiaritate Tribus *Judæ* ſenſim abſtraheretur, ſub Regis Hieroſolymorum Dominatum, ſed dum ille in rationes ſtatus intentus, religionis & conſcientiæ leges neglectim habet, ſibi ægrum, poſteris nullum reliquit regnum, audi ſacram pagi-

nam, (3 *Regum, Cap. XIV.*) *Mundabo reliquias domus Jeroboam, sicut mundari solet fimus usque ad purum, qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eos canes, qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cœli, &c.* Sic Jeroboam, quò magis prudens videtur sibi, eò magis imprudens factus Deo. Nec dubitandum, si illi Divinorum potior quàm Politicorum fuisset cura & respectus, secura sibi & posteris in multas ætates parasset sceptra. Succenseant nunc aliqui, facto Regis nostri Vladislai Jagellonis, qui Bohemorum regnum oblatum sibi habere noluit, ex eo quod dogmatibus Hussitanæ religionis recenter infecta esset Bohemia, ne fors adjectione novi regni & familiaritate utriusque populi, sui Poloni in Romanæ fidei cultum aliàs devotissimi, ea peste inficerentur, quapropter facti non ingratus Deus, tot illi in suos adversarios contulit victorias, ut partim securitate Poloni Regni, partim adjectione & spoliis victorum populorum, Bohemici Regni recompensaretur pia & volens jactura; tamque latè ab ejus progenie per Europam diffudit Deus sanguinis cognationem, ut supra triginta partim Romani Imperatores, partim diversarum gentium Reges, quadraginta & quinque partim Imperii Electores, partim Archiduces (veluti à

quibus-

quibuſdam non incuriosè hodie obſervatum) ab ejus deſcenderint ſanguine. Et tanti eſt habere Divinorum curam, ac poſt rationes conſcientiæ omnia ponere, non Principibus modò, ſed privatis quibuſque civibus, ut dum pro Dei zelo perdere aliquid videntur, plus ex eo lucrentur, quàm amittant.

Obiter, ſed dicere tamen expedit; Concionatorum (& quibus ſecretior conſcientia Rectoris populi innititur) non leve momentum ineſſe virtuti, ut ſeu Princeps in obliquum honeſtatis abeat, eorum monitis in rectum reducatur, ſeu ſi bonus ſit, ne labatur in vitium, ab eorundem derivari monitoria virtute, multum enim intereſt commoneri Principem recti ab aliquo purpuratorum ſeu cive privato, quod niſi intra periculum offenſæ abeat, tamen negligentiori ſuſcipietur aure & animo, quàm ſi ab eorum veniat ore monitum, qui uti Dei ſub ſpecie nobis ſalutaria ſuggerunt, certè extra periculum offenſæ ſunt, & altius nobis in animum dicta demittunt, tum præſertim, cùm ad correcturam velut divi monitoris, contriti abjicimus nos animo, & humili acclinamur genu. Rectè ille Confeſſionarius ſuo Principi, non jejunia, non preces expiandis ſummi Dei offenſis ſuggerebat in correctionem, verùm meliorum quorumvis

authorum proponebat monita, diligentius certis diebus legenda, item vitas Sanctorum Principum, ut ab iis præceptis in melius Deo & populo formaretur Princeps, nam sæpe admonebatur, vel ut decretis ferendis attentior & æquior esset Princeps, vel ut privatam offensam alicui civium condonaret, summam fortunam & potestatem intra modestiam habiturus, non magis se Principem quàm mortalem hominem in lubrico fortunæ stantem cogitans, vel ut Hæreticos à convictu Palatii amoveret, vel ut munia Reipublicæ dignis ex virtute non verò petentibus ex præmio conferret, imò oblata munera infra magnitudinem animi duceret, cui magis proprium est dare quàm accipere, vel ut in quæstores ærarii diligentius inquireret, ne per fraudem subditorum fortunas expilarent, vel ut ad disciplinam militum studiosius attenderet, ne graves forent Colonis, vel (quod in summo repono) ut publicas leges certis diebus sibi legendas curaret, ad eas se ex vi juramenti compositurus, pro evitanda perjurii nota; aut si quæ alia in publicum salutaria bono in Principe desiderari possunt. Principis enim in persona aut corrigas omnes, aut negligas omnes, vel ut verius dicam, aut bene aut malè velis omnibus, verùm ille neglecturus monitum, quid inde; suo vitio negligat ille,

ille, tu tamen pro virtute tua vera loquere, offendetur tibi & tuis? illud certè intereſt, maliſne Deo placere aut Principi; Joannes vel periculo vitæ vera locutus Herodi, Staniſlaus noſtro Boleſlao audaci, Gedeon (nullo reſpectu præſentis gratiæ vel offenſæ) Miecillao Seni, ſancti illi quidem, ſed tu non beandus, qui malo alias Principi indulges, ô! Politice Præſul, Sacerdos, & quisquis ille ſis, magis pro fama ingenii, quàm pro ſalute Principis & populi laborioſè concionator, cùm enim ille ignarus veri, bonum ſe ſibi falſo credit. *Cùm neſciat ſe peccare corrigi non vult.* (*Seneca.*)

17. Nunquam exercitus proximè eum locum cogendi, ubi ſedes conſilii aut Majeſtatis, unde in omnia regimen, ut abſit alimentum turbarum aut factionum, ab iis qui in milites grati, & æquè virtutis atque vitii præſidia in armatis quærunt.

18. Non quos ſplendor fortunæ & oblatum aurum commendat, non quos vana præpotentum obtrudit promotio, miniſtros ſibi legat Princeps ſi ſapit, verum ſatis cuique ſufficere putet ad capeſſendos honores & Præfecturas, ſi in rebus agendis dexter, ſi penes virtutem ſit, etſi non petat, & ſi tacitus à longè ſtet ſine promotore, memor dicterii Stephani Bathorei Regis noſtri, *Sat petit qui bene ſervit*: Potius ſibi quærat tales, non ut quæratur,

illi enim promotores, non Principi idoneos Miniſtros, verùm ſibi clientes quærunt. Si verò adhæc Nundinationes Officiorum accedant, percipiet quidem Princeps unum lucri, quod vendito accepit, decem verò amittet, talium inſcitiâ adminiſtrorum, plerumque enim emunt officia, quibus non in virtute, ſed in auro ſuo creſcendi ſpes eſt, horumne operâ ſperat ſe magnum futurum? Non omnino; præter enim quod jacturam Regno & Reipublicæ facient ſuâ ignaviâ, Principis etiam oberunt famæ, quæ ſola adminiſtrorum virtute & prudentia fovetur; imitetur Princeps bonos agricolas, qui quantum ſeminis è domo exportaverint, in agrum projiciunt, quaſi amiſſuri, quaſi amplius non habituri, verùm grata bonæ culturæ & crediti muneris tellus, adveniente æſtate, decuplum meſſis pro eo quod creditum tenuit, cum fœnore bono reddit agricolæ. Prudenter item amittat Princeps quod gratuitò contulit, ut unũm amittendo, demetat pro eo decem, quantum à virtute prudentium adminiſtrorum recepturus eſt commodi & gloriæ, dando accepit qui digno dedit, cum indigno contulit munus, perdidit. Cogitet multo pretioſius eſſe aurum ſceptri & coronæ (inſignium ſui regni & ſupremæ in homines poteſtatis) omni, quod in deforme pecu-

culium congerit Princeps argento, ut potius illi priori majori ex ratione consulere debeat, aptos ex virtute seu toga, seu bello regni administros quærendo (qui pro dexteritate & prudentiâ provideant, ne sceptrum & corona, vel ab hoste bello sibi eripiatur, vel togâ per inertiam consilii deturpetur) quàm ut peculio privato consulendo, summa officia divendat modico ærarii quæstu, coronæ verò & sceptri inæstimabili per inertiam administrorum jactura, plus ea venundatione amissurus, quàm ut lucretur. Ego verò puto multò plus cuique Principi collatarum pro munere, qui se dextrum & scientem administrum officio tulerit, qui sua dexteritate provideat, ut Princeps incolumis sit, ut regnum suum floreat, fama nominis vigeat sine labe, quem amici Principes æstiment, hostes vereantur, imò ut longa pace adauctæ incolarum opes, per honestas collationes ærarium Principis largius ditent, quàm qui mille talenta in ærarium pro beneficio importârit, ipse per se rudis, Principem regnumque per inertiam (seu togâ seu bello) gesti muneris perditurus. Princeps verò pro sua magnitudine divitem quemque facere potest, sed virtutem nemini instillabit, ut potius virtutem in ministro quærere opus habeat, non opes, non aurum, non præmia, memorque sit, quia

quia ſublatis virtutis & benemeritorum præmiis, peribunt benemerita ut minus decora, facilius verò ignaviam in populo excitaverit, quàm ortam ſuppreſſerit. Non igitur marmori, ſed intimo illud inſcribat cordi, malum eſſe Principem, ſub quo rectè factis tantum ex conſcientia merces, aſt pejorem, ſub quo neglecta virtus, deſidia coronatur, nec quantum quis meruit, ſed quantum quis emit, habet, quod certè rubori Principi ſit, ſi præcipuos virtute & benemerito, alii nequaquam ſtudiis eorum pares, honore & præmio antecellant.

19. Malè conſultum ſit Principi, ſi in ſcrupuloſiorem cenſuram & ſui offenſam vocat, negligentiores adſtantium geſtus, nutus, verba, memor ſit potius, quod jus imperii valeat, inania tranſmittantur, alia quaſi non videat, cætera tranſeat, reliqua ignoret, imò ab aſſentatoribus delata aut inculcata ignorare omnino velit, non adhibendo fidem delatis. At quomodo (inquies) ſalva Majeſtate non emoveatur Princeps, non ſuum honorem vindicet ſi acerbiores populi inſurgant voces? ſibi iraſcatur potius non populo, memor quod vulgò circumfertur, *Non fac non dicent*: nemo virtuoſo ſuccenſet, non in populo ſed eſſe in Principe, ut bene maleve audiat; aut meminerit illius præcepti, *Ne*

convi-

convivalium fabularum simplicitas in crimen vocetur, neve sibi ipse accersat sponte caussam offensæ & irascendi, curiosius subaudiendo, inquirendo, sciscitando, suspicando, singula rimando, rectè alicubi *Seneca*, Non vis esse iracundus? non sis curiosus; Et coincidit in idem alterius dictum: *Si mihi possibile sit speculum parari, quo dicta omnia factaque (quæ alicubi contra me apparantur) repræsentarentur, prorsus confringendum putarem, alia enim dum ignorantur non lædunt, alia leviter prolata per se evanescunt, alia tempore & pro meliore affectu mutantur in melius, demum alia ambiguè prolata & non rectè intellecta, in offensam facilè trahuntur, aut dum aliqui sint in nos malitiosi, vel ideò successu temporis in melius mutantur, quia de malitia sua latere se putant, perseveraturi alias, ne frustra deprehendantur*: ut prorsus nihil scire, quàm sic aliquid scire ad quietem animi conferat. Plerique item offenduntur, quia offendi se putant, seduloque inquirunt, quid mali de se loquantur homines? potius quæsituri, quid boni? Unicum verò injuriarum remedium est, si vel nesciantur vel non intelligantur, neminem tangunt illæ nisi volentem, qui suscipit & fatetur vulnus, habet: inquies tamen; quid si innocenter ore, calamo, petatur Princeps? tamen ille privata odia publicis utilitatibus remittat,
ne

ne ipsis remediis gravius exasperet, relinquendum non rarò rumoribus tempus quo senescant. Peccarunt plerique præcoci rigore, cum ab ipsis periculis & turba Reipublicæ remedium petebant, qui deliquêre, quasi per incerta tutissimi, & nihil bonæ spei nisi per discordias habentes, vel quod gravius est, patrati quàm incepti facinoris rei esse malebant, cum periculosius putarent in incepto, quàm in peracto deprehendi. Potius ergo infra magnitudinem suam ducat Princeps illa verborum calamorumque vulnera; Infirmitatem animi detegit, qui adversarium incusat, imò parem (ne dicam superiorem) agnoscit, qui adversarium; quod sanè dedecet Principem, generosæ feræ ad latratum catulorum ne respiciunt quidem, spernuntque ut impares, quasi indignos contra quos assurgant, par item tibi Princeps sit cui obluċteris, aut si obluctaris, agnoscis parem, perpende potius, quia spreta exolescunt, si irascare agnita videntur, imò des libertatem loquendi populo, memor dicterii: *Loquantur illi, nos verò faciamus, modo penes virtutem*: vel illius alterius boni Imperatoris, *Loquuntur quidem, sufficit quia malè facere nobis non possunt*, proprium esse Regum audire malè cum bene fecerint, Hoc autem est contentamentum & solatium populi, si de accepta injuria li-

berè

berè poſſit conqueri & loqui, ac velut ſat vindicatum ſit, non ultra verba tentat ſi prohibeatur loqui, factum meditatur; Inconſultè ille Cæſarum (*teſte Cornelio Tacito.*) Vagis per urbem militibus ſermones vulgi coërcere ſtuduit, idque præcipuum alimentum famæ erat, nam prohibitus quiſque plura ſpargebat, ac ſi liceret vera narraturis, dum vetabantur, atrociora vulgabant. Rarius verò extremam vim in vindictam Princeps adhibeat, cogitet, populo multas eſſe manus, ſibi unam cervicem, neminem unquam inimicos & inſidiantes ſibi deleviſſe, in deleti unius locum, decem alios conſanguineos, amicos, notos etiam atque ignotos ſuccedere, dum flagitium imperantis oderunt, vel cum metuunt, ne ad ſe quoque effrenatus ſine obice furor tranſeat, inde fit inſidiantium & inimicorum nexus quaſi & catena *Vitæ tuæ Dominus quiſquis contempſit ſuam.* Etiam manus tuas quibus te credidiſti haud ſecurus aſpicies, vel cum à populo corrumpentur, vel à ſua virtute incitabuntur, cùm indecorum putant pro flagitioſo Principe excubare, imò potius mereri de Deo, proximo, & pòpulo, ſi deſerant, ſi prodant Tyrannum Principem. Aſt multi Principi ſunt fidi clientes inquies, his etiam crede ineſſe fidem ad tempus ſumptam, vel quodam fatorum arcano, ne habeat

habeat amicos omnibus inimicus. Sic ferè cuique Tyrannorum ab orbe primo evenit. Aſt tu bone Princeps vis tamen tollere omnes obloquentes, *rectè fac & parce*, & omnes tolles. Fidiſſima Principis cuſtodia ipſius innocentia, non ſic excubiæ nec circumſtantium tela, quàm tutatur amor, ac ut verbo claudam, hæc arx inacceſſa, hoc munimentum inexpugnabile munimento non egere. Et hæc virtutis tuæ futura præmia, regnum ſervabis, ſecurè vives, & memoriam apud poſteros æternabis, inter ſuperſtitum lachrimas & ſuſpiria, & inter magna proborum exempla. Quòd nunquam Tyranno Principi eventurum, cui illud in pœnam graviſſimum eſt, quia ſibi ſemper metuit, torquetur intrò & conſumitur, diffidentiâ in ſuum populum laborando, non quod populus malus ſit, ſed quia ipſe non bonus, & cùm per conſcientiam flagitiorum juſtè ſibi populum adverſaturum credit, licet alias non adverſatur, periculum tamen ſuſpicatur, diffidit deinde, de auxiliis anxius eſt, conſilia molitur, populum diſtrahit. Nec certè ſcio Principem ſuo populo diffidentem, niſi qui flagitioſus ipſe ſit, nec amorem ſibi deberi ab eo populo (per conſcientiam flagitii) ſperat, quem offendit; minore alias opera, & ſecurius eum ſibi reconciliaturus nova virtute, quàm ſi de præ-

præſidiis lateri ſuo proſpexerit : Ignem igne (ut ajunt) non extincturus.

20. Nunquam bonus Princeps rem Reipublicæ à ſua privata ſeparabit, ſed potius fortunam ejus ſuam ducet, quod illi deceſſerit, ſibi deceſſiſſe, quod acceſſerit, ſuæ fortunæ adjectum putabit, proſperâ enim fortunâ Reipublicæ Rex vivit; deſinit eſſe regnum? Rex eſſe omnino deſinit, quod ſi aliter fieri Princeps putet, eum ſuſpecto & infami ſydere natis comparavero, quorum ridendam naturam aliqui ſuggerunt, cum ſuas ſibi ipſi ſubripiunt res & abſcondunt, imprudentes potius, quia ſibi ipſi magis quàm aliis injurioſi, horum naturam imitantur Principes, qui ſuum populum velut alienum per tributa & collationes deprædantur, & in ſe ipſos ſæviunt, dum mala populi non curant, aut bonum ſegnius promovent. Nullam ideo aliam (ſi per omnia Tyrannorum monſtra ivero) cauſam reperio quòd mali evaſerint, quàm eam ſolam, quia rem ſuam privatam, à re populi publica ſegregabant velut alienam curando. Bonus verò vis fieri Princeps, te & Rempublicam unum eſſe crede corpus, aut illam corpus, te velut dic animam, & bonus eris. Imiteris (quod ſæpius ſuggero) bonos agricolas, qui non in commodi, ſed damni tabulas referunt, quantum ab impenſis

penſis impinguandi agri, & authumnali ſemente ſubtraxerint, non agro illud ſed ſibi detracturi, quantum illi negaverint, tantum ſecus lucraturi, quantum ſibi non aſſervarint, ſed donaverint terræ boni ſeminis, & quò largius projecerint, tantò plus percepturi commodi, ut ſtultam omnino in ſeminando vocemus parſimoniam, & Principem imprudentem qui ſibi parcit in promovendo bono ſibi à Deo traditi populi. Aſt agricolam quidem nemo arguerit ſi remittat ſibi non alteri injuriam, Princeps verò ſi negligens ſit, ſe ſuumque perdit populum, arguit eum populus, arguit æternum judicaturus ipſe Deus. Tondet ergo ſuas oves bonus Princeps ut repetitum fructum percipiat, at malus degluberat, eoque avarus ſui deprædator, quia ſupprimit fructum, & unius ſpecioſæ vicis cauſâ perpetuò ſe exuit, ſuoſque poſteros commodo; videat apes quantum illæ ſuo proviſori repetita æſtate mellificant, ſi ſibi pepercerit & in hibernale ſuſtentamentum in apiario largius reliquerit mellis, verùm ſi totum mel avidius auferat, apes per inediam enecat, & ſimul fructum ſupprimit. Mutuam hic felicitatem dicas apium & proviſoris, felices ſibi ſuo melle apes? felix item fructu curator, depauperantur illæ largiori nutritivo aut enecantur? pauper erit apium, paupertate
ſtultus

ſtultus apiarius, uti Rex paupertate ſui populi pauper, & infelicitate infeliciſſimus, quia omnium primus.

21. Sibi omnino atque eò magis ſuis poſteris ſit injurius Princeps, ſi negligentius habere velit regnum, quod electione populorum, in regimen non in hæreditatem ſibi collatum accepit, cum (dicto *Cornelii Taciti*) *Difficile ſit temperare felicitati, quâ tuos non putes uſuros* &c. *Nec ulla poſterûm cura lacerari imperium*. Sed verè electivæ purpuræ quiddam ſecurius ineſt omni hæreditate, quid certius poſſeſſionariâ & naturali ſucceſſione. Nam licèt in populo Polono jus & libertas civium pro arbitrio eligat, regnantium tamen virtus in amore populi hæreditat, cum diligenti cura, & non ficto ad tempus publici boni ſtudio, animo & intimo amori populi ſe ſuoſque poſteros ingerunt, ut eo facto poſteris ſuis in amore civium non dubiam electionis ſucceſſionem relinquat. Sic evenit Piaſtorum, ſic Jagellonum de Republica meritæ domui (ſecus omnino prætereundæ libero calculo, ſi abfuiſſet ſucceſſiva virtus) cum non per poſſeſſionem ſucceſſione, ſed electione per virtutem Polono ſceptro quodammodo hæreditaret. Si igitur cui Regum ineſt natorum ſuorum & ſceptri in poſteros cura, nullo ſtudio in cætera faciat ſibi & illis virtute

tute in amore civium hæreditatem, idque ea ratione, ne populum præſentis regiminis tædeat, ne quis publicè privatimve conqueratur, ut eum Patrem cives agnoſcant non Dominum, juſtum, clementem, munificum, ut demum populi vivat non ſuo bono, unde non ſolùm bonus ſibi ſed optimus erit, nam ab optimo Patre, uti bonos credit naſci populus, etiam ex merito paternæ virtutis eligit poſt fata rectores. Inconſultè facti arguantur Principes qui ſcelere aut dolo electivo in ſceptro hæreditatem poſteris quærunt, quam ut parent, ſemper ac facilius in virtute & amplexu populi habent. Nam flagitio in ingenuo & forti populo opere multi periculi & vix quidem aſſequare; virtuti ultrò oblatum ferent, neque Tyranni, ſed optimi Principis cùm non moritura gloria ad poſteritatem nomen dabunt. Regnabit facilè in ſuis poſteris quiſque Princeps, niſi cui difficilius obveniat virtus, flagitium ſit in obvio.

22. Cum quod verum Principi dicitur acerbum putat, ſe ſuaque omnia prodi vult, potius ſi inter publica conſulta in eum civem inciderit, qui pro generoſitate ſua cum legibus & virtute conſentanea ſuggerat publicè privatimve, aut nonnulla à Principe errata in melius reduci velit, amaturus hunc potius ex virtute non oſu-

osurus, minimè rugosa fronte dicentem audiat, sed modestè in animum dictum demittat, defuturi enim sunt, qui aut suadeant aut præcaveant, si malè aut suasisse aut acerbè præcavisse periculum sit. At ille publicè (inquies) loquitur? forsan illi familiare cubiculum & privatus tecum sermo inaccessus, quò verò audacius proloquitur, eò magis (crede mihi) est penes virtutem, neque impudentiam voca aut oblocutionem, verùm zelum virtutis & amorem veri, cùm sine respectu præsentis gratiæ vel odii (qui solus lapis lydius est rectæ & incorruptæ indolis) quod pro conscientia retur, profert. Stephanus Bathoreus Magnus ille Poloniæ Regum dicere solebat, se malle audire liberas populi voces, quibus in rectum reducatur & velut informetur, si aliquid in se cives desiderari velint, quàm eorum, qui cum fortuna sua non secum loquerentur, apud quos præsertim *recti vicem tenet error dum Principis est*, quæ accusanda sint, venustè excusando, & quibus honesta atque inhonesta Principum, æquè laudare mos est, dumque auribus placere vellent, suam Regisque conscientiam in devia & pudendos errores (dum reticerent vera) deducerent. Rectè ille Imperatorum à familiaribus cubiculi seriò quotidie quærebat, ut audacter, & sine depravatrice veri circumlocutione

proferrent, *qualem se sibi privati cives habere optarent?* Cùm enim falsa alias pro veris referrent, laudarent quæ damnanda, reticerent quæ facienda, bonum alias & cautum vendi posse (ajebat) Imperatorem, aliud pro alio facturum; Vis ergo tu Princeps non vendi? vera libenter audi, & hos veraces in familiaritatem cubiculi adscisce, his candidum pectus, non fucatam virtutem, incorruptam fidem crede inesse, illi verò qui placentia loquuntur, tuæ fortunæ non tui amici sunt, ad manus tuas respiciunt quid inde eludant aut auferant, non ad tuam famam, non ad utile populi; ac velut fraudium & dolorum Magistri, tum maximè byssina & saccarea loquuntur verba, gestus & frontem non ad infidam formant sinceritatem, cùm loculis hominum maximè insidiantur, tibi etiam Princeps insidias tum maximas strui crede, cùm molliori mulceris assentatorum verbo & demissiori viscaris obsequio, ait ille verè, *Fistula dulce canit volucrem dum decipit auceps.* Nisi quoque tu irretiri vis, & pro affectu mancipium unius audaculi clientis reddi (qui te specie obsequii regat, & cùm minimum facere videtur, omnia pro arbitrio misceat, agendo otioso simillimus, eoque acrius agens omnia, quo magis somnum & inertiam simulat) non solùm ad eorum verba, aures fortius obsera, sed fami-

familiaritate cubiculi, imò ipſo pelle Palatio; diſſimilis Galbæ, qui amicorum & clientum ubi in bonos incidiſſet, ſine reprehenſione erat patiens, ſin mali forent? uſque ad culpam ignarus. Grave quidem (inquies) vim bono inferre affectui? ut velut uno ictu nexum amoris præcidas, eum derepentè amovendo, qui potius intimo animo, quàm lateri tuo adhæſit, quaſi dimidium animæ? O mollis & impotens tui Princeps! potior ne tibi fucatus cliens, quàm tua tibi fama, quàm bonum populi, & in hæc peccare mavis, quam aſperiori verbo carpere tuum clientelare mancipium? tineam tuæ bonæ famæ & ſoricem Palatii, rugoſiori modo aſpice fronte, dic *Abeat*, non abibit modò ſed præcipitabitur, tu verò tibi potens eris & bonus Princeps. Adhibe potius fidiſſimos ex virtute miniſtrorum, qui intenti ſint ad omnes notos & ignotos, ſi quid tibi referre, aut de aliquo præcavere, aut in aliquo conſilio, ſeu togato ſeu bellico, induſtriam & operam monſtrare velint (recenſuræ tamen ſubjecta, num vana aut exvero ſit, quis enim prudens ſuadeat Principi; ad obvias quaſque nugas Majeſtatis commodare aures? in quas nil niſi magnum fluit) ut non ſolum dictum referant, ſed ipſum dicentem ad te Principem, manu ducant,; fidelius enim qui que tibi,

ac planius quod ſentit in præſentia aperiet, locoque magni præmii erit, tuo aſpectu & præſenti alloquio uſum fuiſſe; approbaveris relatum? lauda (in cæterorum exemplum & provocandam induſtriam) largius præmia, tum apto miniſterio adhibe; non placuerit? conatum lauda, rem non damna, ne ſi cæteri non placitura referre vereantur, etiam proba damno tuo reticeant. Scias igitur quiſquis es Principum, potiores aliquando virorum conſilio, experientiâ, fide & virtute à longè acceſſum tui cubiculi venerari, pluraque & meliora ſi liceret ſuggeſturos, quàm hi quos vana ſors fortunæ, obtruſerit propius tuo lateri, quos ego potius verbis Philippi Cominæi commodè incuſem (*Lib. III. Commentar.*) *Temperare mihi non poſſum hoc loco, quin gravius aliquid dicam in Principes; Habent ſibi plerique familiares aliquot juriſperitos,* (aut quicunque illi ſint fucatæ prudentiæ temerarii, faſtuoſi, verbis amœni, aut magnifici, rerum vacui) *& quoſdam qui longiori veſte diſcernuntur ab aliis, cujuſcunque rei ſermo inciderit, illico legem aliquam aut hiſtoriolam* (ut ſuavius & ſine ſenſu rebus imponant) *adferunt, plerumque & ſæpenumero præter rem, dum ad ſuum ſenſum & affectum omnia detorquent, idque eò crebrius & audacius faciunt, cum Princeps ipſe nullam habet rerum cognitionem, qui*

ſi

ſi vel ingenio valeret, vel librorum lectione quæſitam haberet aliquam prudentiam, non temerè circumveniri poſſet, nec ſic ludificationibus aliorum eſſet expoſitus: Addam & ego. Quod illa nonnullorum amœna ingenia ſunt, velut moderni ſæculi telæ aureæ, in uſum quaſi unius diei accommodatæ, quæ cum à ſuperficie nimium ſplendent, intus nihil ſolidi habent, ſedata verò ingenia, minus quidem apparatus & lenociniorum ſecum ferunt, & plerumque conſulendo à gravitate triſtia ſunt, ſed tandem eventu læta. Noſce, Noſce Princeps fucum, Cave, Cave coloratam prudentiam; cui rei ex facili tibi ſuggeſſi remedium, modò imitêre.

23. Nemo Regum illegem capit Rempublicam, ſed eſſe jura populis quibus deferunt regna, & ſuper ea jurari ſponderique volunt à Principe. Si ſecurè igitur & ex æquo imperare velit bonus Rex, ſæpius regni ſui jura legat, ne vano titulo ignorantiæ aut oblivionis, ea prætereire aut violare audeat, præter enim quod dedecet Principem ignorare normam, ad quam ſe imperiumque componere debeat; verùm ſi in aliquo tranſiverit aut negligentius habuerit legem, ceſſante nomine Regis, legum & populi Tyrannus eſſe incipit, & de facto perjurus eſt; ſervet mille, unam negligat, eadem perjurii

licentiâ laborat, tam enim ſuper unam quam ſuper omnes juratus Rex eſt. Ne igitur ſibi & populo ſit fraudi, eò revolvendarum legum obviabit remedio, nulla enim re magis periclitantur Principes de bona fama, quàm ignorantiâ legum, & votorum ſui populi, quid in ſe cives (tacitò licet ob reverentiam & metum Majeſtatis) fieri velint; ſanctum forſan te tibi credis Princeps, quia ſacro vacas quotidie (magis forſan ex conſueto, & pro opinionis pompa, quàm ex vero) aſt tuâ incuriâ cùm omnia peſſundas, tot innocui cives vel depravatis judiciis ad ſupplicia trahuntur, vel de fama, boniſque periclitantur vel à potentioribus opprimuntur, ne quid gravius recenſeam, ſanctum te tibi credis, quia bis in ſeptimana jejunas? aſt te connivente, multa miſeræ plebis millia, licentia militari depauperantur, aut forſan enecantur fame, de ſui Principis incuria vindici Deo relaturi ultionem; ſanctum te tibi credis quia mille aut decem millia in pauperes, monaſteria, hoſpitalia, Eleemoſynæ loco ſpargis, & quaſi magnificum oſtentas factum, aſt tui populi (cui præes) crudelis latro es, quem mille prædandi vocabulis per collationes vexas, nec aurum magis quàm ſanguinem elicis, publicæ velut pacis causâ, ſed potius in oppreſſionem non defenſam populi, non gerendo ſed trahen-

do

do bellum, non in publicam necessitatem, sed curiositatem privatam, cùm integros milliones inutilibus impensis deprædaris sanguinem pauperum emungendo. Quis mihi nunc alter velut ille Divus, qui Neapolitano Regi (exprobrando tributi gravamen) sumpto in præsentia Regis nummo fractoque, sanguinem ab intra manantem Divinitus visendum fecit: Quàm non rivi aliquando, sed integra (expresso crudeliter è nummo) sanguinis manarent flumina, si tam sub aspectu videre liceret, quàm quantum quis meliorum animo & mente comprehendit extremæ servitutis. Compara si quis es talis Principum, quæ facis quasi ex virtute in privato cùm iis quæ peccas publicè, nonne cum pessimis comparandus es? verùm tibi (inquies) velut alicui meliorum nata ingenua proles, affluunt opes, adsunt infractæ vires, stabilis & inconcussa morbo ex optato fluit ætas; falleris si exinde argumentum trahis tuæ virtutis. Non hæc pro virtute merces superum est, sed mora pœnæ, cùm sanctum & optimum exspectat numen, ut in rectum te tuaque reducas, interim *Laneis in vindictam venit pedibus*, tarditatem pœnæ, cum fœnore, recompensaturum gravitate. Vide tu ergo quisquis Principum es, ne eludaris, quid tui populi à te velint; inspice leges quo te manu ducant, cogita datum po-

pulo juramentum, & exinde conſcientiam factorum teſtem, & te tibi velut in ſpèculo repræſenta ne perjurus ſis. Sed aliquis mihi in aurem ab aula gratioſus cliens? ergone tu rigorosè monitor vis ex noſtro Principe Lectorem, qui mihi revolvat legum volumina, vix privato & nihil agenti perlegenda? triſtemque imperanti inducis frontem ac meditabundum, cujus lætiori affectu omnes refoventur, confunduntur triſti; Te potius fatuum aulæ mancipium; nonnè ſcis? multò magis Principi quàm alicui privatorum noſcenda populi inſtituta? Nonne adſunt quorum fida opera ſummarium legum capiat Princeps. Principaliores verò legat ipſe, aut ſi ſummus in eo ſumendus ſit labor, nonne (dicto illius) (*Bonum Imperatorem ſtantem oportet mori?* Nonne ſcis? tantùm oneris, quantùm honoris purpuræ ineſſe? cujus mùnera dum verè ille noſſet, ne quidem è terra tollendam obvio putabat. Nam Rex eligitur non ut ſeſe molliter curet, ſed ut per ipſum ii qui elegerunt bene beateque agant, non enim Reſpublica ſua eſt, ſed ipſe Reipublicæ, omnium ſomnos ejus vigilantia defendit, omnium quietem illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio, ut remiſſum aliquando animum habeat, nunquam ſolutum. Quod ergo tanti laboris præmium?

illius

illius Principis (ejuſdem Senecæ verbis promitto) *magnitudo ſtabilis fundataque erit, quem omnes non minus ſupra ſe eſſe, quàm pro ſe ſcient.*

24. Defunctum me propoſito putabam, verùm en ecce ultra opinionem & votum ſuccrevit *Quartum & Vigeſimum*, idque *In re Bellica Monitum.* Non quod aut ambitioſus unico monito totam ſcientiam bellandi complecti præſumam, aut Principi verbo uno, quidquid aut virium paratur, aut conſulitur, aut bellatur, aut vincitur, enarrare contendam, verùm è tam vaſto arcanorum & militaris ſcientiæ mari, velut guttam propinabo. Idque circa *Legendum belli Ducem. In parando & ſuſcipiendo bello. In militari diſciplina.*

Plus in bono Duce conſiſtit, quàm in exercitu.

Verè dictum, tanti eſſe Imperatorem quanti exercitum, imò pluris in bono Duce repono, quàm in exercitu, boni Ducis dexteritate etiam incondita turba nomen militum & exercitus merebitur, ſecus verò exercitatiſſimus miles, potiùs à virtute & diſciplina diſſueſcet, quàm ut Imperatoriam artem ſuo Duci ingerat. Rectè Antigonus trepidanti paucitate ſuorum claſſiario, reſpondit: *Me verò præſentem cum quot comparas*? O quam nunc aliquibus gentibus rectè illudi poſſet dicto illius Antiſthenis, qui (exprobrando imperitiam Ducum) monuerat Athenienſes, *ut*

non minùs asinis, quàm equis ad agriculturam uterentur, cumque illi respondissent, ignavum esse animal & labori ineptum, subridendo intulit, quid refert? cum in Republica vestra Duces sint, qui nec ab arte, nec ab experientia, nec à natura militarem scientiam hausere, quasi illis ad Imperatoriam artem sufficiat, quod à vobis in Duces lecti sunt. Summam ideò prudentiam cujusque Principis in legendo belli Duce requiro, ut quidquid sibi bello clarum, quidquid tutum aut laudabile speret, totum ab eo recepturus sit, si scientem belli Ducem legat, frustra leges dissoluto militi scribat, frustra bellum paret, periculosius verò aggrediatur, si unicum hoc abfuerit.

Indicium mali Ducis.

Qualis ille mihi sit belli Dux, si in virtutes vitiaque militum non inquirat (bonos recommendaturus Principi testis virtutis, pœnamve irrogaturus malis) aut quomodo inquirendum ignoret, imò non audeat, apud quem inanis respectus, obvia præpotentum intercessio peccandi impunitatem adferunt, & dissolvendæ militaris disciplinæ causâ sunt, qui per blanda alloquia, donativa effusè promissa, largitiones, conniventiam, commessandi mensas, lautiora pocula, favorem militum aucupari mavult, quàm ut hæc ex admiratione suæ virtutis, & pro muneris authoritate debitè oblatum sibi habeat, solo nomine Dux & Im-

Imperator, re ipsa cujusque importunæ suasioni, aut verius imperiis ut pupillus obnoxius, cui non amor, non odium, nisi indita & jussa, *agitur ut alienis nervis mobile lignum*, non modò imperii sed libertatis etiam indigens, consilii proprii inops, alieni impotens, & melioris ignarus; ac diem de die velut consultando protrahens, agendi tempora inutiliter consumpturus, aut otiando agenti simillimus, aut si tandem agat, non amplius sciens quàm milites perdere. Qui ignorat à quo capite Imperatoris officium ordiatur, quæ prima sint, quæ media, quæ postrema? exequendo, cui aut otium & faciendi inertia cunctatio vocatur, aut temeritas audaciæ nomen habet, prudens verò audet & operatur, iners confundit non agit. Jam si modica insurgat seditio, blandientibus corruptus & facilis, adversus minantes trepidus, undique circumspiciens, impotens sui, timens magis quàm timendus, qui nec oculis nec auribus sibi competit, ad omnes nuntios vultu & incessu trepidus, huc illuc clamoribus circumagitur, præ metu & ignavia quæ jusserat vetans, quæ vetuerat jubens, nec scitam præsentiam sui cum prudenti alloquio & authoritate motibus militum oppositurus, verùm in umbra trepidus agens, cessuri alias, si summum virtutis testem & pœnæ arbi-

Boni Ducis indicium.

trum conſpicerent. Fortes verò Imperatorum & ſtrenui etiam contra fortunam ſpei inſiſtunt, conſtantes adverſus metus, nec inania famæ pertimeſcunt, ac ſi imperium detrectetur fortioribus remediis agentes. Nihil autem moto in milite modicum; terret ni paveat, ubi pertimuerit certatim ſequitur, aut ex facili obedit (ſi ſcitè imperio utaris) aut ſuperbè dominatur, verum quonam modo ſatis, vitia inertis Ducis aut virtutes boni enumerem? vel ſi enarrare ſtudeam, quamdiu recenſeam? Quærat ergo bonus Princeps belli Ducem per omnia momenta militiæ gnarum, non tantùm quomodo hoſtes vincat, ſed quomodo ſuos habeat, vires hoſtium, vitia ſuorum & inertiam vincere ſcientem, qui ſeveritate obſtinatus ſit, & invictum habeat adverſus gratiam animum, ſciatve quis ordo agminis? quæ cura explorandi? quantus urgendo trahendoque bello modus? quanta vis in equite, qualis in pedite ordo (*pedeſtris verò ordinis peritia, ſola ferè gnarum belli Ducem ſtatuit*) ſecundarum ambiguarumque rerum expertus eoque interritus, quem bellantem ratio ducat non fortuna, magis priuſque cogitans & providens ne vincatur, quam ut vincat. Jam ſi præmium labatur, ſciat occurſare paventibus, retinere cedentes, unde plurimus labor, unde aliqua ſpes?

Pedeſtris militiæ peritia belli Ducem ſtatuit.

ſpes? conſilio, vocè, manu inſignis hoſti, conſpicuus ſuis, qui demum ſeverus ſit diſciplinæ cuſtos, neque aut reſpectu ducatur, aut ex conniventia amorem (tum authoritatem) apud militem quærat, quàm prudenti ſeveritate potiùs habiturus; eandem enim ſeveritatem Imperatoris milites admirantur & laudant ſæpius, cui quandoque iraſcuntur, velut ægroti, licet præ impatientia contrahant frontem, æquo animo tamen manum & unguem chirurgi in vulnere ferunt, dum aliter ſanari ſe non putant. Sed quis mihi Principum (inquies) tam perſpicax aut plenè lynceus ſit? qui cujuſque genium, virtutem, & intimum pectus videat, an (quem elegerit) in melius occaſione oblatæ fortunæ ſe componat, an in pejus corrumpatur? multi majores privatis videntur dum privati ſunt, & omnium conſenſu capaces muneris, niſi exequendum ſumant, potiuſve deſtinantur officio, quàm quem aptiorum virtus in occulto tenet. Fateor ego quidem, aliquid erroris poſſe obverſari ſi reſpectus adſit, verùm Principi prudenti & perſpicaci haud abſit ratio, quin rectum judicium de aliquo viro ferat, apud quem gratia tum ſplendor fortunarum in argumentum virtutis non abeunt. Sunt enim nonnulli qui nomine Domus magnifico & fortunarum, turpem inertiam velant, quo-

Belli Ducem à ſola virtute legendum.

quorum prima ætas otiosè ſæpiùs non per honeſtas artes tranſacta, pleriſque inſuſurrantibus, ſufficere ſibi ad gloriam majorum ſuorum magna nomina, ſatisque ſe amplis Doctoribus, avis, ataviſque in alto natis inſtructum, neque opus habere ſtudiis, quaſi in umbra educatis? ſtultè ignari potiùs, quia majores eorum omnia quæ licebat illis reliquêre, divitias, imagines, memoriam ſui præclaram, virtutem non reliquêre, neque poterant, ea ſola neque dono datur neque accipitur; Non igitur majorum fortioribus factis clariores ſunt, verùm contra eſt, nam quantò vita illorum præclarior, tantò horum ſocordia flagitioſior, ni virtutem ipſi ſequantur. Sæpe igitur bonæ artes tum bellica virtus etiam in anguſto fortunæ habitat, enitentibus ſingulis, ut quod cuique parcior fortuna negarit, à virtute conſequantur, quaſi ab hac ſola munerum & bonorum, imò altiorum ex merito titulorum ſpem petituri. Quoniam verò ſtudiorum mentio facta, vel obiter explanare juvat, quantùm illa ad bellicam virtutem conferant, nam ſæpe audivi & cum indignatione mirabar, velut per riſum vulgò dictum circumferri: *Imbellem neque timendum ex libro bellatorem.* Quidni potius ſtultè prolatum aliquis prudentiorum rideat? fateor quidem ut aliquis à ſolo Muſæo in caſtra noviter ve-

Quantum lectio antiquæ Hiſtoriæ bono Duci conferat.

veniens Tyro, importunè belli Ducem agere contendat, nunquam armorum antea practicus, sed eam tamen vim bona studia scientiæ bellandi commodant, ut qui artibus perpoliverit ingenium, pulsa incapacitatis ruditate, capacius cuique perdiscendæ rei reddendo (adjecta super hæc variarum historiarum lectione, tum casuum pacis & belli ab antiquo orbe usque in hoc tempus notitia, quid alicubi per prudentiores Ducum præclarè armis gestum? in quo, quare, aut quomodo erratum? quomodo correctum sit?) citius scientiam bellandi spatio viginti quatuor mensium in castris & armorum tractatu acquirat, meliusve judicium belli ferre possit, quàm qui decem annis (alias per antiquorum gesta & honesta studia rudis) exercitum secutus sit. Jam si veteranum militem vulgari opinione præferimus Tyroni aut Novitio, quasi ille ab experta dudum notitia melius consilium belli ferre possit, cur non ille veteranus sit? qui centum, qui mille annorum res ante se gestas à lectione Historiæ notarit, quomodo hoc vel illo casu instructa, dilatata, densata acies, in subsidia, velitationes, robur, divisa? Quomodo reparata instando, sequendo, cedendo, quà pedester miles, quà gravior, quà ferentarius eques locandus, in plano, in arduo, ad fluvium, paludes, sylvas, valles,

valles, ſaltus, quid momenti ad victoriam profuit? quid obfuit erroris? vel quidquid caſuum bellum habere poteſt. Conferat ergo mihi veteranus per ſtipendia miles experientiam ætatis ſuæ, cum eo qui penitius & ſuæ ætatis quæ vidit, & alienæ ab antiquo quæ legerit producet, nonne potiorem hunc dices? quotquot orbis miratus magnos Imperatores, fuêre ſtudiorum & lectionis amatores, Alexander magnus Aſiam ſubigendo legitabat Homerum, Julius Cæſar bellando aliorum res geſtas legit, & ſuas ſcripſit. Sed quid cum antiquis? Magnus Noſter Stephanus Bathoreus Rex, tum non minus magnæ memoriæ Vladiſlaus IV. nonne per otium Hiſtoricorum lectioni immorabantur? hæc Reges; Jam belli Duces, Joannes Zamoſkius ſub Stephano & Sigiſmundo Regibus armorum Polonorum Dux uti ante ſe cæteros doctrinâ, etiam ſcientiâ bellandi & triumphis ſuperavit, tum poſt eum Zulkieskius & Chotkievicius librorum amatores belloque clari, dicam planè licet mordaciorem cenſuram imperitorum feram, quicunque belli Ducum artium & Hiſtoriæ ſit rudis, aut ſaltem externorum diverſa bella non vidit, & ſi per cætera armorum clarus ſit, poſſe utique illum de aliquo prælio per fortunam, nec tamen de ſumma cujuſque belli & contra quemvis ho-

hoſtem conſilio decernere, velitatorem magis quàm Ducem parti exercitus commodiſſimè, nec tamen toti exercitui præficiendum, vicarium & ſocium belli, non tamen ſummum armorum Præfectum, verùm ne importunis immorer, planius ediſſeram. Quomodo Princeps belli Ducem quærat? & ex juſto inveniat. Operoſum quidem illud ſit, ſed quæ cura bono Principi, pro gloria & integritate ſui ſuorumque gravis.

Quomodo Dux belli legendus.

Accerſat ad ſe Princeps è quavis Regni ſui Provincia, quos fide & rerum majori in vulgus notitia clariores putat, ſecretisve inquirat de iis quos virtute, prudentiâ, tum ſcientia bellandi apud ſe vulgo celebratiores habeant. De quorum verò nominibus acceperit, memoriali annotet, tum collatis inſimul celebratiorum nominibus, convocet omnes pulchro prætextu ad aulam, conſilium de ſumma belli & judicium dexteritatis in præſentia facturus, quid cujuſque animo inſit? perſpiciendo; O quàm facile ſe cujuſque virtus & intimum pectus prodet, ut meliorem Ducem ab illo cœtu legere poſſit Princeps, reliquos minoribus belli muniis pro virtute adhibiturus. Non ergo eum leget, qui probabilia, ſed tamen cum ardentiori quodam impetu de bello ediſſeret. Sæpè enim tales ſunt pro ardore animi

mi improvidi, projectè audaculi, imò aliquando (ut ait ille) *ad mensam debellaturi Alexandrum*, secreti consilii impatientes, qui plus minarum quàm periculi contra hostem ferunt, in re ipsa trepidi. Neque eum qui tantum prudenter loquetur, cùm multa sint discursu pauciora in praxi; Aliud autem est consulere, aliud exequi, multæ virtutes Imperatoris, sed ea ferè omnium Mater, ut activus sit; non ut sentiat, prudenter loquatur, facere autem dissimulet, sicut libri legentem instruunt, per se nihil exsequuntur. Neque eum qui omnia scrupulosius circumspicit undique aliquid metuendo, solaque cunctabunda consilia suggerit; nam uti audacia sæpe temeritatem, sæpius tamen cunctatio timorem amat ingenerare, qui verò nescit, non potest, causam in promptu habet, & semper aliquid facturo deest. *Agendo audendoque res Romana crevit, non his segnibus consiliis, quæ timidi cauta vocant.* Neque eum (si cætera absint) quem plausus militum sequitur, cui in præsens arma in manu, castra in usu; aliquando consilium successit, & fortuna famulata est. Steterat quondam in desperato res Romana bello contra Æquos ob inertiam Minutii Consulis, non in castris sed in agro ad aratrum quæsivit, & invenit Quintium Cincinnatum, qui debellatis hostibus, rediit iterum

rum ad aratrum, laureatasque manus commodavit vomeri. Quidni etiam hic ad Patrium rus & agrum gnaros bellorum invenias? non intrudentes se rebus per modestiam, suæ tamen virtutis conscios, nec defuturos imò summæ rerum præfuturos, si vocarentur. Neque eum Princeps leget, qui ambitiosus & pro pompa loquetur sua facta venditando; sæpe enim isti fortunâ insolescunt, Principi & concivibus graves; Neque eum (dicam ultimò) qui alias audax, manu fortis, hostem ferire ipse sciens; Scio fuisse in Catholico Belgio pedestris militiæ Hispanicæ Præfectum, morbo pedum debilitatum, ut instructurus legiones media inter signa suorum sellâ portatoriâ deferretur, cursu pedum & equi impotens, summum tamen virum, cujus consilio & præsentia multa sæpe transacta. Lego item Scipionem (ni me fallat mens) ab Annibale in singulare certamen provocatum respondisse, *Imperatorem me non militem natura genuit*. Errare potius belli Ducem, si se periculo prælii objiciat. In milite unius sors est, in Imperatore universorum periculum, qui non tam suis pugnando proderit, quàm oberit occumbendo, sed potius se summæ rerum servet.

Requisita boni Ducis & indicium.

Eum ergo belli Ducem leget Princeps, qui modestè, prudenter, medius inter cun-

cunctationem & projectam audaciam, non præſumptuoſè, ſed cum ingenuo tamen vigore animi, fortius, probabiliter, ab externo, ſed patrio magis ab uſu, à certa rerum experientia, non à ſola ſpeculatione rem loquetur. At quod maximum eſt, qui omnia ſuarum rerum momenta noſcat, in quo ſua potentia conſiſtat, in quo defectum, diminutionem, augmentum habeat aut habere poſſit? qua ratione ſibi & unde hoſtis maximè nociturus? qua ipſe hoſti? unde commeatus, unde ſtipendia? & quamdiu ſuffectura? omniaque ad praxin & uſum, unde repentina in caſum adverſi prælii ſubſidia parari poſſunt? quæ ſibi in præſens ſociorum fœdera neceſſaria, & quomodo paranda? quomodo item hoſtium aut impedienda, aut dirimenda? Atque cum hæc omnia ſua intimè noverit, etiam hoſtium res tantundem imò magis penitiuſve noſcat & ediſſerat, qua parte petendus hoſtis? Poſitio inſuper hoſtilis regionis noſcenda, genius nationis, tum ipſius belli Ducis, dein arma, vires, peditum & equitum robur, ac in univerſum natura bellandi, cunctanter ne an verò audaculè veniant *Omnia hoſtium ut ſua noſcendo*, non ſuperficialiter verùm intimè. Quid multis? eum inquam leget Ducem, *cui tuta conſilia cum ratione, quàm felicia ex caſu placeant*; & hæc ſunt boni

Conſilium ante bellum.

fu-

futuri Ducis indicia. Sed ſecretius tamen inquirat Princeps in privatam hominis vitam, qualis ſit? an modeſtè per virtutem inter honeſtas & viriles occupationes, an per otium, comeſſando, potando, laſciviendo, imò inſolentius cum injuria convivium tranſacta. Plerique enim aliam publicè faciem ad tempus ſumunt, & imponunt velamen ſceleri, iterum ad naturam redituri, ſi cenſor abſit, ſi occaſio adſit. Neque verò ſatis ſit bonum Ducem inveniſſe Principi, verùm alia requiruntur, ſcilicet ut eum decoro & convenienti proventu ditet, quo magis oneroſo & ſumptuoſo muneri ſufficiat, ac privatæ rei curâ vacuus, totum ſe bello commodet, neque habeat neceſſitatem defraudandi militum ſtipendia, tum corrumpi à præda, ab oblata ditandi occaſione, ut publicum honeſtum, non privatum utile quærat, imò ut habeat quo militem aliquando alliciat, menſæ primores adhibendo (pro more humanioris ſæculi, cui contravenire aut invidioſum aut planè impoſſibile ſit, niſi aliquid concedas) munerando, tum omnia decora belli Ducis pro authoritate in minores vicarios, Præfectos, totumve exercitum honeſtè retinendo. Deinde authoritatem ille Princeps paret (quâ ſolâ ſumma poteſtas valet) in exercitum, in æmulos, ut ſine invidia ſubſint, nec malint impe-

Bono Duci providendum eſſe à Principe, proventu convenienti.

pe-

peria Ducis interpretari, quàm exequi, præpotentes illi purpurati, qui alias se potius eo muneris provehendos sperabant, melioribus invidi. Necesse ideò sit credo Vladislaum Jagellonem Regem bello contra Cruciferos, eo parandæ authoritatis consilio usum fuisse, cùm præter omnium opinionem *Zindramum Mascovickium* ex ordine equestri summæ rerum præficeret, posthabitis purpuratis & qui magnorum nominum in castris secum fuêre. Quo in facto simul Regis prudentiam mirari non abstineo, qui inter tot Patriciorum equitum millia maximè gnarum belli digito tetigit & provexit Mascovickium, item majorum nostrorum moderationem animi cur non laudem? qui postposito privato ambitu, non dedignabuntur parere melioribus.

Non præscribatur modus bellandi.

Deinde ne præscribat Princeps modum bellandi Duci, verùm fidei & virtuti totum committat agendum, magis enim turbaturus res quàm ut aliquid proficiat in melius, multa enim non à præmeditato sed ab oblato casu flectuntur ad consilium. Antequam verò nuncius ex castris ad Principem, dein à Principe in castra deferatur, occasio rei gerendæ effluit, & alio statu bellum est, quod momentis vertitur. Addo, quia sæpe impetus rectè agendorum sistitur, cùm respectus præscriptorum confundant belli Ducem, ut cùm

cùm ille ſui Principis voluntati obſecundare ſtudet, in cætera non intentus ſit, & ſæpe bonarum occaſionum momenta tranſeat, unum dein ſummæ rerum præficiat Princeps non plures; adſint licèt vicarii & conſultores, conſulat ille quidem, ſed meliora pro arbitrio exequatur, ac omnibus ipſe præſit. Vidimus nuper damno noſtro; Cum per reſpectum perſonarum (optimo alias exercitui) tres ſummæ belli à Republica præficerentur, decem ferè (imò plures) è purpuratis Commiſſariorum ſub titulo (impedituri magis per æmulationem authoritatis quàm conſulturi) in ſocietatem adſcriberentur; conſulunt illi, ac de prioratu magis colluctantur, interim hoſtis invaleſcit, progreditur, urget; Quid ergo? Hiſtoricis dicendum relinquo. Noſter quidem Polonus miles eſt, quo meliorem ad ſubigendas gentes caſtris non optes; eques enim dexteritate armorum Nobiliſſimus, cui per thurmas cum haſta cominus venienti, perviæ neceſſe ſint ſariſſarum legiones, pedes item eminus atque cominus bonus eſt, inediæ laboriſque tolerantiſſimus, patientiſſimi uterque diſciplinæ, verùm heu æterna numinis potentia, qualiter tua dividis orbi dona? videre alias metu ſuo potentiſſimi populi, quantum Polona virtus bono ſub Imperatore poſſit.

Unus ſummæ belli præficiatur.

Pro

Rex ipse in castra non veniat.

Pro ultimo adjicere placet. Ne Rex ipse in castra veniat, verùm proximiorem locum occupet manendo, & movente se exercitu contra hostem, ipse itidem promoveatur, proximior consilio & authoritate futurus, ut incolæ sui majorem fiduciam futuri successus à Principis præsentia capiant, qui non recedit verùm sequitur bellum, tum ut hostis metuat, dum videt in proximo Principem stantem subsidio suis futurum, *majora* verò *creduntur de absentibus; Opinione res constant.* Si verò planè castra ingredi velit, officit nonnunquam magis suâ præsentiâ quàm prodest. Possunt sequi Principem per obsequium aliqui magnorum quidem Nominum, nullius verò stipendii, bellorum ignari, per otium loquacissimi, rerum bellicarum censores dum pugnandum sit, periculi impatientes; *nescii nisi pacem loqui,* hi plerumque in castra æmulationes, dein luxum invehunt, res turbant. Subest item major audacia hostibus oppugnandi castra, dum sciunt adesse illum, in cujus capite totum debellandum sit, suis major inest respectus pro tuenda salute Principis, ne in uno totum amittant, & cum de illius periculo metuunt, sæpe (etsi per occasionem pugnandum sit) supersedere malunt, nec vincere planè audent, metu adversorum quæ contra opinionem sæpe obver-

obverſantur. Multò verò magis officit Princeps, ſi ſe imperio militari ingerat; Quid pluribus? luxurioſius habebuntur caſtra, diſciplina Militaris ſolvetur; (Quis enim alter Alexander? Quis Cæſar? Quis ut noſter Stephanus Bathoreus, ut Vladiſlaus IV. Rex, aut ſi qui Principum tales? ſi verò ſint tales, non diſſuaſerim, ſed invitaverim in caſtra, idque tamen cùm de ſumma rerum agitur; nam minora bella per ſeipſum gerere, magis ſit temeritatis & inanis janctantiæ virium, quàm magnanimitatis, ut Togâ, ſic Bello, *Majeſtati major è longinquo reverentia*, clades aut errata facilius corrigantur per alios commiſſa, quæ verò per ipſum Principem fiant? non item: Et alia quæ exinde evenire poſſint, quis ſatis dicat?) cùm aut de delictis militum, aut de accepta injuria deferre ad Regem aliquis vereatur, nec tam facilè de periculo (aut quid conſilii interſit) ab obviis præmonebitur Rex, cùm aut ob reverentiam Majeſtatis accedere gregarius veretur, vel cùm obſeſſi, ab aulæ ſervis aditus & aures Principis, ſecus verò interdiu noctuque, ad menſam, ad cubile, ſedendo, diſcurrendoque aures Ducis armorum patere debent conquerentibus ex falſo aut vero, de ſuis aut de hoſte deferentibus, ne cùm falſa negligit, vera etiam omittat; quæque audire

Pauci Regum bellicoſi.

D levis

levis labor ſit aurium, & ex vano parva ignominia, proba vanaque diſcernere tum approbare, ea verò vis ſolius judicii eſt. Hæc de legendo belli Duce. Jā de exercitu ſuggerā, verùm brevioribus, idque concisè.

Quomodo parandum bellum, vires, exercitus.

Lecturus exercitum Princeps, providere debet, ut ſaltem unius anni ſtipendio & commeatui, tum per omnia expenſis belli ex præparato ſufficiat (inexplicabilis alias error ſit) cætera res ipſa expediet, curaturus interim pro virili, ut ex hoſtico in poſterum impenſis alat ſuos, pro ſumma ratione bellandi, ***Vt bellum ſeipſum nutriat.*** Provideat itidem ne Præfecti militum defraudent ſtipendia, ideoque non prout ſe quiſque in Præfecturas, Centuriatus, Tribunatuſque, notus aut ignotus (legendo militi) ſponte offert, verùm certa ex virtute ſumendus eſt, ac de melioribus per Provincias ſedulò inquirendum à Principe, etſi pertæſi laborum recuſent, altiori tamen ſtipendio tum præmio alliciendi, non verò in perditi ſed lucri tabulas illaturus Princeps, quod bonis expenderit: Nam illi ex fide & virtute omnia fortiter ad victoriam præſtabunt, triumphum & Provincias paraturi. Sunt ſecus alicubi aliqui, quibus nulla domus, nulla manſio, nulla vivendi ratio, ideoque bellum optant, non ut pugnare ament, *Galeati lepores metuentes magis quam metuendi,* ve-

Bellum ſeipſum nutriat.

verùm ut ſub titulo Præfecturarum rapiant, deprædentur. *Conducti mercede miniſtri ſceleribus*, & cùm Provinciæ bello depauperantur, ſecus illi per flagitium diteſcunt, ſtipendia defraudant. *Tribunatus aut Præfecturas ut ſpolia adepti*; graviores ſuis tranſeundo, quàm hoſti in conflictu, nec metuunt de fama, quàm dudum nullam habent ut perdant; Hi legunt (in pedeſtrem præſertim militiam) purgamenta urbium, nomina magis quàm milites, ſibi ſtipendium, illis modicum æs obtruſuri, quod verò gravius, quia non ad deſtinatum numerum militum, ſed pro centenis ſexagenos ſeptuagenoſve, ſub ſignis educunt in aciem, dum verò ſtipendia numerantur, integros ordines è calonibus velut in ſcenam procuraturi, defraudatores ærarii, tum ipſius belli, quid erubeſcam eloqui? Animadverte maturè bone Rex & Reſpublica, ſi tibi aliqui in caſtris tales, dum horum fraudi parcis, malim parce hoſti. Non abundet præterea, ſed ſufficiat ad victoriam exercitus, malit paucos & exercitatos Princeps, quàm inutilem turbam, frumento & ærario gravem; Prævalet tibi hoſtis numero? tu verò cura, ut virtute exercitati militis, Ducis prudentiâ, bonove ordine prævaleas. Aliud eſt turba, aliud exercitus, manibus bello opus eſt, non multis nominibus. Sic Ale-

Præſtat paucos habere milites, ſed exercitatos.

xander prævaluit Dario, cui nihil magis ad victoriam obstitit, quàm exercitus incondita multitudo. Non extraneos deinde, sed tuos scribes in militiam; Hi enim non fide, non amore, in alienam Patriam tenentur à te stipendio conducti, conducendi ab alio & prodituri te, si majus aliunde offeratur, neque alienæ Patriæ sanguinem libenter commodant *hospitibus tantum metuendi*. Ast tui inquies inexercitati? levioribus tamen crede mihi impensis tuos exercebis, fideliores habiturus quàm conduxeris (aut emeris potius) externos.

Extranei non scribendi in militiam.

Opportunè hoc loci subnexerim, quod nuper consilii loco à me porrectum; Cùm difficultatem suscipiendi belli contra Suecos nonnulli obtenderent, à penuria peditatus (nam diutino bello, plerique officialium pedestrium interierant, ut multo temporis ærisque dispendio, ab externo solo petendus esset legionarius miles & Præfecti) meumque super eam rem consilium requireretur; Ego non in exteris quærendos, sed potius domi faciendos pedestris militiæ administros facillimè indicavi. Si è toto equitatu *Ducenti viri* strenuissimi, & experta in rebus bellicis dexteritate legerentur, pedestri militia per peritissimos Ducum exercendi, ut alii ex his in legionum Præfectos, alii in Præfectorum vicarios substituerentur, nonnulli

Quomodo pedestris militia in Polonos invehatur?

nulli Centuriones forent, reliqui signiferi, atque sic per capita & officia legionum distributi, facilè pro se aut pedites legere, aut lectos exercere posset, prout ab alio nuper quisque didicit, alium ipse docens. Scire autem expedit alio atque alio milite contra diversas gentes opus esse; Hastati equites (pro natura Polonæ militiæ) contra Turcas optimi, ferentarii verò contra Moschovitas, Cosacos, & Scythas, hos sequendo, illis ut tardioribus assultando: Verumtamen hastati equites contra quemque peditatum & Catafractos Germanorum milites (primo præsertim congressu pro acie rumpenda) opportunissimi. Pedites contra Turcas & Scythas valent, se nonnisi defendendo, & tutando aciem magis quàm vincendo. Amant enim Turcæ pro multitudine & agilitate aciei circumfundi, assultare, simul & recedere, quos pedester tardior miles non assequatur, sed tantùm se defendit. Contra Germanos & Cosacos pedites quidem opportuni, sed equitatu hastato pro victoria ubique abundandum, nam hostes omnes cominus optimè viceris, eminus tantùm illis resistes. Verumtamen natura etiam regionis noscenda, ut si in Montana Provincia bellum tibi gerendum sit, plus peditatu opus habebis quàm equite, ut toto conatu in apparatum & exercitia pedestris

Genus militiæ diversum contra diversos hostes. Et pro natura regionis.

militiæ incumbere debeas, paucis equitibus idque levioris armaturæ uſurus. Videat deinde Princeps, ut ſtato tempore ſtipendium ſolvatur militibus; rectè ille totam diſciplinam militarem ad ſtipendia retulit, dum ait; *Diſciplinam ſervare non poteſt jejunus exercitus*. Jejunus verò eſt, ſi deficiente ſtipendio rapere per inediam cogatur. Si verò Dux belli pro imperio obluctetur, quaſi ex juſto argumento retenti ſtipendii non obedit miles, imò tumultuatur, ut fruſtra ſæpe incuſemus belli Duces ſolutæ diſciplinæ militaris, dum illi nonnulla connivere, cætera non videre debeant, in non ſtipendiato milite; ſecus ut juſto ex prætextu punituri, ſi ei ſolveretur: Fœdera ſibi paret Princeps, hoſtium verò ſocietates per ſuos internuncios (aut amicorum vicinorum) diſtrahat, quoſvis potentiorum in ſuas partes pertrahendo, generoſo ſuaſu (abſit verò ut inſtar ſupplicantis) ſed potius proventurum exinde commodum ſi te ſequantur, vel ſi deſerant, commune tecum periculum emerſurum perſuadendo. Dein cauſæ juſtitiam & belli prætextum typo evulgari curabis in vulgus, ut ſociis tuiſve imponas, juſta te movere arma, injuſtis verò ab hoſte te peti; Incredibile verò, quantum hoc valeat in animis hominum, ſociorum, ſuorum, hoſtium; ſocii pro juſta parte faci-

Stipendia militibus non detineantur.

Fœdera.

Titulus belli.

facilius ſtabunt, contra juſtitiam alias, velut reluctante Deo pugnaturi, ſui majorem animum ſument. *Nam cauſa jubet ſuperos melior ſperare ſecundos*: hoſtis verò conſternabitur & arguetur per conſcientiam injuſtorum armorum, ut diffidentius rem aggrediatur.

Si verò hoſtis ex inſperato periculum minetur, tu verò imparatus ſis, etiam laceſſitus prudenter diſſimula, aut quaſi factum non videas, vel ſi urget ille amplius (cùm aliter fieri non poſſit, res verò ſuadeat) eo caſu ex animo aliquid demittere neceſſum erit, per Principes interim mediatores (vel tuos etiam internuncios) amicam & honeſtam compoſitionem quæres, non inglorium tibi ducens, licet precariam quietem alicujus temporis ad protrahendum obtineas, verumtamen remotâ procul omni fallaciâ & dolo; Arguat mihi hoc caſu aliquis generoſum pectus meticuloſitatis ex diſſimulatione, nonne magis ego arguero temeritatis, ſi ab imparato Princeps obluctari velit, & turpiter cadere. Puto potius utile eo in caſu præponendum, ne cùm de ſolo glorioſo cogitatur, utile ſimul cum honeſto amittas, quod alias cum fœnore gloriæ rependetur, ſi non prius, quàm ex bene præparato ad depellendam injuriam deſcenſum ſit. Provideat verò interim ſibi Princeps,

Quid imeprátoſa ciendum.

de ſtipendiis, de viribus, de ſociis, cùm verò ſuffecerit periculo, cum bono Deo & cauſæ juſtitia triumphum pollicebor.

Exterorum auxilia periculoſa plerumque ſunt, niſi cautè admittantur.

Hoc loci inſinuare juvat quàm graviter falluntur aut populi aut Principes, dum imparati inchoando bello, vel dum attriti viribus, ad exterorum auxilia non expenſis conſiliis provolant, quibus potius author ſim, ut quocunque modo paciſcantur cum hoſte, quam ut ſubſidiis exterorum ſe totos credant. Paciſcendo namque, utique rei unius jacturam pati poſſunt, verùm ſi numeroſa exterorum auxilia in Provinciam incauti admittant, de omnibus ſimul periclitantur, & circa Provincias, & ſimul circa ſtatum, quæ ultra revocari non poſſunt. Auxiliares ſi vincant, datum beneficium exprobrant, ſuperbi civibus, graves Colonis, præmia periculorum & victoriæ petunt, imò extorquent; ſub ſpecie amicitiæ tua perluſtrant, defectus conſiliorum, virium, ærarii, fortalitiorum, & quæ per omnia ſint, ſubdolè ſpeculantur, quæ utcunque ab ignoto magnifica erant; ut contemptui in poſterum habearis, aut in præſens ſtatim pericliteris, dum ſæpius ab occaſione capiendi totum invadunt, certiore tui periculo, quam alias ab evidenti hoſte metuendum erat. Rectè Tacitus, *Arma aperta palam vites, fraus & dolus occulta eoque inevita-*

inevitabilia. Demum dixerim, tua non tua erunt amplius, nisi quæ precario sub auxiliari victore habebis. Si verò secus auxiliares succumbant armis, certè non aliunde quàm à tua terra vindictam & damna repetituri, ut jam pro hoste unico, duos habeas, & qui intulere bellum, & multò graviores qui ex amicis hostes futuri, qui aut certo certius cum hoste in damnum tuum pacifcent, aut (quod non infrequenter factum) tua inter se divident, alienæ terræ periculo securitatem sibi paraturi & præmia peracti belli. Verbo dicam, pluribus respectibus ac proinde longiori bello eâ viâ implicaberis, nam qui ad ea solum attendere opus habebas, quæ in rem tuam futura erant, demum supererit nova necessitas, ut pro commodis sociorum bellandum tibi sit, si eos in partem auxiliorum potentes voces, majori bello implicandus. Quid pluribus? vidit olim orbis, quanto damno suo sensêre subjecti populi, aut quàm fuerit illis periculosum, Romanorum auxiliis se credere, qui in ferendis subsidiis, non faciles modò, sed prodigales erant, ut cùm dare beneficium à subsidio viderentur, certè servitutem imponebant, dum sub imperium victos simul hostes & socios traherent; Ne per recentiora exempla & populorum casus decurram. * Repetierim igitur conduci-

Turca occupavit Orientale imperium & Hungariam auxiliorum sub specie. Item: Cruciferi nostram Borussiam.

bilius esse utique, cum potentiori hoste pacifcendo aliquam jacturam limitum pati, quàm ut majore periculo subsidia in Provinciam introducantur, nisi si ea subsidia sint in submittendis gregariis, in permittendis apud se delectibus, in commodanda pecunia, in subministrandis armis & commeatu. Demum ut tuis stipendiis conducti milites tibi sacramento devinciantur. Tum quod maximum, ut sub tuis signis, Præfectis, Ducibus militent, pro tuo arbitrio & commodo omnia facturi; Si verò alias exterorum Duces & Præfectos admittas, licet tua stipendia & gregarii sint, precario in rem tuam bellabis, nec quantum vicisti, sed quantum (utar vulgari verbo) *discretio* bellantium patietur, tibi in præmium cessura. Vidimus sæpius exinde subdolos Principes, ut facilius totum exercitum in partem subsidiorum alicui mitterent, quàm ut unica legione subvenirent laboranti, dum enim succurrendo per omnia potentes in aliena terra evaderent, aut cui succursum est, aut simul contra quem succurrebatur, pari casu involvebant, in occasiones intenti; Ne utinam ea submittendorum subsidiorum fallaciâ circumventi populi olim, aut nunc periclitarentur.

Disciplina militaris.

Ad disciplinam militarem venio, cujus curam magis penes Ducem belli, quàm penes

penes Principem, minoreve exercitus invidiâ repono, veruntamen Princeps eò ducat ſciatque modum. Tres autem Militaris diſciplinæ partes pono: ***Frugalitatem, Exercitationem & Pœnam.*** Prima in parte expedienda occurrit mihi apud Salluſtium Metellus; Huic poſt Albinum inertem Ducem, traditus in Africa (contra Jugurtham) exercitus iners, imbellis, neque periculi, neque laboris patiens, linguâ quàm manu promptior, prædator ex ſociis & ipſe præda hoſtium, ſine imperio & modeſtia, demum qui anteceſſoris lenitate omnem diſciplinam ſolverat, & velut Tyro ab hoſte fugabatur. Ita Imperatori novo plus ex malis moribus ſollicitudinis, quàm ex copia militum auxilii aut bonæ ſpei accedebat, ut non de Jugurthæ potentia ſollicitum animum haberet, quàm ut veterem in milites revocaret diſciplinam; Quam ea ratione reduxit, nam primo edicto alimenta ignaviæ ſuſtulit, potus ſuperfluos, tum cibos delicatiores, & alia (quæ ſunt laſciviei magis quàm neceſſitatis) vendere in caſtris prohibuit; Præterea cùm ſciret perpetua caſtrorum ſtatione otium ingenerari, tranſverſis itineribus etiamſi opus non eſſet caſtra movebat, juxta ac ſi hoſtis adeſſent, vallo & foſſa muniebat, vigilias crebras ponebat, ac ipſe (quo majorem excitaret diſcipli-

nam) ſedulò obibat, item in agmine in primis modò, modò in poſtremis, ſæpe in medio aderat, ne quiſquam ordine egrederetur, ſed ut cum ſignis frequentes incederent notabat. *Miles cibum & arma portare neceſſum habebat.* Qua dexteritate effecit, ut exercitus ille qui ſub anteceſſore niſi fugere ſciverat, ac ſub jugum miſſus eſt, jam fugaret hoſtem victor, cùm Metellus non prius hoſtem quàm vitia ſuorum vincere contendit. Quis alter hodie capiat imperium Metellus? quam pejora nonnullibi aut ſolutæ diſciplinæ ſigna videat? aut pellere opus habeat. Quo mihi picta veſtis aut equus auro fulgens, incitamentum prædæ potius, quam ut aliquid ad militare decus & virile conferat robur, quod neque tegit neque vulnerat; Quo mihi latè patentia ad pompam tentoria, in cœnacula, cubicula, auditoria, ſeceſſus, deambulatoria, capellas, Palatiorum inſtar diſtincta? quò vicies quadragieſve milleni currus qui exercitum ſequuntur, vera ad celeritatem (qua maximè bellatur) recedendo aut ſequendo, imò ad ipſam victoriam impedimenta; unde ſi jumenta tentoriorum, lectiſterniorum, abbaci, molliorum ciborum, coquorum, Muſicorum non raro, vini, aromatum, ſcatularum pondus devehentia dempſeris, ſi adhæc mercatores cum vino, mulſo, & luxu-

Militaris frugalitas.

luxuriæ incitamentis sequi castra prohibeantur, tertia utilium jumentorum vix restaret pars, unde minus impedimenti ex curribus, facilior annona, pabulum & celeritas, omnia expedita; Romanus miles sub pellibus hyëmabat, vestem eam tantum quâ tegebatur portabat, cibo castrensi vescebatur, cum orbis imperium urbi peperit, non gravis colonis transeundo, in petendo victu, modico assuefactus cibo, non in exigendis nummis oneri, cùm nec veste, nec armis, ad superfluum splendorem, verùm ad usum uteretur; sæpe verò depravato nostro sæculo & militari disciplina, fulget vario miles ornamento, cui nulla domus, nullus paternus villicus, cùm verò luxui stipendia non sufficiunt, rapiendo, deprædando suos, pecuniam corradit, illis *quos defendere debebat, magis oneri quàm usui*, non propugnator verùm depeculator civium. Omnis ergo in milite aut fortior virtus, aut disciplina à dexteritate prudentis Ducis, frugalitas verò promanat magis ab exemplo, quàm ab imperio; si à gregario milite veste & victu non discrepet, si in omnibus militaribus imperiis, in seipsum severior sit Dux ipse quàm in milites, ut sit illi generosior quàm ornatior equus, erubescet miles ultra Ducis sui morem ascendere & splendidior velle videri. Rectè Marius apud Sallu-

Exemplo frugalitatis Dux ipse præeat.

ſtium: *Didici hoſtem ferire, præſidia agitare, nihil metuere, niſi turpem famam, hyemem & æſtatem juxta pati, humi requieſcere, eodem tempore inediam & laborem tolerare, his ego præceptis milites hortabor, neque illos arctè colam, me opulenter, neque gloriam meam laborem illorum faciam, hoc eſt utile, hoc civile in milites imperium, verùm cùm tu te per mollitiem agas exercitum ſupplicio cogere? hoc eſt Dominum non Imperatorem eſſe.* Non diſpar etiam illud Livii (Lib. XXXIV. Hiſtor.) dum ait. In Conſule Marco Porcio Catone ea vis animi atque ingenii fuit, ut omnia maxima minimaque per ſe adiret atque ageret, nec cogitaret modo imperaretque quæ in rem eſſent, ſed pleraque ipſe per ſe tranſigeret, nec in quenquam omnium gravius ſeveriuſque quàm in ſemetipſum imperium exerceret, parſimoniâ, vigiliis, & labore cum ultimis militum certaret, nec quidquam in exercitu ſuo præcipui præter honorem atque imperium haberet. Profectò ſi dux ipſe inſtruat menſas conviviis, ſi vile tabernaculum, & craſſiorem in veſte pannum aut pelles aſpernetur? ſi acupicta equorum tegmenta aut auratum frenum quærat, fruſtra aut imperet, aut ſperet in milite frugalitatis, obedientiæ, & ex ordine agendi diſciplinam, tam in ſeipſo quàm in milite (nam ipſe primus in ordine miles eſt)

est) hæc odisse debet, severè (sublata spe veniæ) & abjecto personarum respectu puniturus, ornamentum in milite majus non requirens, quam ne arma rubigo exedat, reliquum cultum aulæ, lascivieique relicturus; Sciat enim *horridum militem esse debere* (*Livius Lib.* IX. *Histor.*) non celatum auro argentoque, sed ferro & animis fretum; quippe illa prædam verius esse, nitentia ante rem, deformia inter sanguinem & vulnera, virtutem esse militis decus, & omnia illa victoriam sequi, & ditem hostem quamvis pauperis victoris, præmium esse.

Exercitium armorum. Post frugalitatem, altera mihi pars Militaris disciplinæ sequitur, videlicet, *Exercitium militare.* Breve dictu, longum labore & cura Ducis, exercitium tam pedestre quàm equestre in exercitum invehendo. Severè igitur præcepturus belli Dux turmarum & cohortium Præfectis, ut per hybernas stationes divisi, non otientur, verùm castris se parent, & stata in septimana die, milites singulos instruant, equos agiliter insiliendo & desiliendo, vibrando gladios, ad metam explodendo sclopetâ, atque cursim iterum onerando, cum hastis decurrendo, & alia quæ sunt usui exsequendo, (neque milites solum, sed etiam robustiores calones pedestri præsertim exercitio instruantur, ut cum necessitas urserit,

urſerit, non inutiles ſint caſtris, ac proinde bello) dein ſub ſignis totam turmam exerceant, quomodo ſcitè & agiliter provehant, reducant, dilatent, denſent, in dextram ſiniſtramvè moveant ordines, aut confuſos ſine perturbatione reſtaurent, ut non magis Præfectis quàm ipſis militibus ſit notus ordo, ut non exſpectato Ducum imperio, quod è re & uſu militari ſit ipſis per ſe medio in prælio exequantur, ſciant igitur vallum jacere, viritim vigilias inſomnes obire, arma expedire, cum hoſte concurrere, unus alteri ſubſidium ferre, ſignum ſine tumultu ſequi, non deſerere, aut ſi cedendum ſit, non curſim fugere, verùm frontem ſæpius cum ſigno abvertendo inſtare, dein modicè circumacto gyro & circo ſe recipere recedentibus modicè primis ordinibus, ultimis impetum hoſtilem ſiſtentibus, & ſic reciprocè. In quam Præfectorum curam diligentiſſimè Dux belli inquiret. Jam verò in caſtris per contubernia primum privatim, dein per cohortes, tum per integras legiones exerceatur miles, cum haſta, ſclopo, pilo; eques, pedes; deinde evocato integro in aciem exercitu, totum ſimul exercebis, ut formam aciëi, ſtationes, ſubſidia, acceſſum, receſſum, per partes ſimulve diſcat, item quomodo inclinatur, denſatur, extenditur, vertitur

aciès

acies, dextrorſum, levorſum; quomodo turma turmæ, legio legioni ſuccurrit, oppoſita parte parti (ſi commodum videbitur) proinde ac ſi hoſtis ingruat in modum juſtæ pugnæ inter ſe decurrendo, idemque ſæpius.

Tertia eaque ultima Militaris diſciplinæ Pars. *Pœna in Negligentiores.* Eam verò puto quæ in delicta militum animadvertit, ſi prohibita Ducum tranſcendant, ſi conſuetum ordinem in caſtris, ſi per Provinciam in ſtationes vicatim diſperſi, ſolitum rei frumentariæ & præſcriptum morem diſciplinæ tranſgrediantur, quod verò pro ſummo dixerim, ſi ſigna in acie deſerant; verùm inquies? Quomodo ſine invidia & periculo authoritatis integram cohortem (ne dicam legionem aut partem exercitus ſi delinquat) belli Dux in pœnam vocet? quin juſtitia degèneret in lanienam, multos ſimul puniendo, ſæpe verò inducit impunitatem peccandi, multitudo peccantium, dum multi unus alium circumſpiciunt, præſidium erroris & effugium pœnæ à tumultu petituri; nec abeſt tamen puniendi ratio, ſalva Ducis authoritate obedientiæque exemplo. Quid ad antiquiora recurram? adeſt recentis memoriæ factum juſti bellatoris. Guſtavi Adolphi Suecorum Regis, cui cùm in caſtris tres millenariæ legiones ob non ſoluta (fortè) ſtipendia

Militaris pœna.

dia tumultuari cepiſſent, diſſimulando velut neſcius, pro concione ante tabernaculum inermes evocavit, aliis omnibus præmonitis, ut cum armis adeſſent hoſque coronâ cingerent; Expoſita turpitudine delicti velut moderaturus pœnæ rigorem, decimare (ſorte) ad ſupplicium ſontes juſſit, ut trecenti è ternis millibus in pœnam capitis legerentur, tum illachrymante toto exercitu ad pœnam tantorum, quaſi aliquid in gratiam omnium facturus, è trecentis, triginta viros iterum ſorte legit, verùm ne hic quidem judicium ſtetit, nam intercedentibus ex compoſito primariis belli adminiſtris, humiliterque deprecantibus, non denegavit quin ad tres tantùm pœna redigeretur, metus ad omnes. Quo in facto miraberis diſciplinæ rigorem, laudabis modum, non improbabis clementiam, ter mille in pœnam vocati, ter tantùm mulctati, omnes puniti, pauci pœnâ, omnes æquali terrore, dubitantibus & paventibus ſingulis, ne ad ſe ſors deerraret cùm decimarentur. Sic ferè Guſtavus; verùm ego ad antiquos. Cùm bello Tarentino aliquot millia captivorum è juventute Romana à Pyrrho Rege ultro miſſa Romani recepiſſent, decrevit ſenatus in pœnam (quod in tanto numero capi, quàm ſe aut fortius defendere aut gloriofius occumbere maluiſſent) ut ex iis qui equo me-

meruerant, peditum numero militarent, qui pedes fuerant, in funditorum alas transcriberenter, neve intra castra (indigni fortium consortio) sed extra vallum tenderent, neve locum extra assignatum vallo & fossa cingerent, neve tentorium ex pellibus haberent. Recursus verò ad pristinum militiæ ordinem propositus, si quis bina spolia ex hoste referret, quâ ignominiâ compressi, ex deformibus captivis, acerrimi viri extiterunt, ut occumbere in posterum mallent quàm captivari. Huic pœnæ nostrum ad usum addi potest, ut delinquens cohors periculosiores vigilias, primum itineris laborem, primum prælii periculum subeat, parte stipendii privetur, aut ipse Præfectus, trimestre stipendium cohorti proprio ære solvere cogatur in pœnam, ut exinde non absit ratio, multos delinquentes posse simul puniri, non semper supplicio, sed (quod æquè ingenuo pectori grave sit) castrensi ignominia. Cùm item clade Cannensi contra Annibalem, sex circiter millia Romanorum per ignaviam se egissent, ut dedi mallent quàm pugnare (imò ne id quidem dixeris per ignaviam, stultum enim erat paucis de resistendo cogitare, quinquaginta millibus cæsis, totoque suorum exercitu fuso) tamen apud generosum & disciplinæ militaris amantem populum delictum valuit,

luit, ut cum omnium horum redimendorum poteſtatem Annibal feciſſet, ſperneret tamen ſenatus redimendi conditionem, potius eos ultra mortuorum conditionem relegando, memor tantam multitudinem armatorum juvenum, ſi honeſtè mori maluiſſent turpiter capi non potuiſſe. Neque hoc mirer, ſed illud magis, cùm poſt eam cladem, penuriâ virorum Roma laboraret, vix habitura unde exercitum ſcriberet, maluit tamen aliunde ſibi conſulere, quàm ut ignavorum numerum caſtris exciperet. Neque illud omittam, cum idem Senatus Romanus partem exercitus quod Regium injuſto bello occupaſſet, & privata authoritate Imperatorem ſibi delegiſſet, delicti judicaret, quo minore invidia pœna perageretur, ſorte lectos quinquagenos virgis cæſos ſecuri percuti juſſit, eorumque corpora ſepulturæ mandari, mortemque lugeri vetuit. Suggeram etiam illud Quinti Metelli, cùm ad Contrebiam collocatas à ſe in quadam ſtatione quinque cohortes, eaſdem viribus hoſtium pulſas vidiſſet, repetere eandem ſtationem è veſtigio juſſit, non quod ſperaret ab iis amiſſum locum recuperari poſſe, ſed ut præteritæ culpam pugnæ inſequentis certaminis manifeſto periculo puniret; Edixit etiam, ut ſi quis ex his fugiens caſtra petiiſſet, pro hoſte interficeretur, qua ſeveritate

ritate compressi milites, testamenta primum (certi manifesti periculi) scripsere, dein rem impossibilem aggressi, ultra opinionem multitudinem hostium superârunt. Quid pluris? bello delinquentes si puniveris, vel qui deliquere iterum non peccant, vel reliqui certo metu penes virtutem retinentur, rectissimè annotavit Tacitus (*Annal. lib* XII) dum ait: *Sub Corbulone non ut in aliis exercitibus, primum alterumque delictum venia sequebatur, sed qui signa deseruerat, statim capite pœnas luebat, idque usu salubre, & misericordiâ melius apparuit, quippe pauciores illa castra deseruere, quam in quibus ignoscebatur.* Non Romanorum antiqua ætas modò, sed recentior Polona vidit & amplexa est non dissimilia militaris disciplinæ exempla in illo maximo Ducum & cuique Romanorum pari *Joanne Zamoiskio*, cùm enim bello Livonico, cujusdam delicti damnaret non postremum legionis Præfectum, ob idque acerbioribus castrorum dictis proscinderetur, ut non dubitaret quidam *Zamoiskium* palam adire & persuadere, ut habita ratione illustris sanguinis, mollius de delinquente decerneret, respondere non dubitarit. Quid tu mihi solos lyxas pœnæ castrorum objicis, quorum non ingenuæ simplicitati utique citius condonarim etiamsi deliquerint, quorum uti

uti vita ignota, etiam pœna conſpectui minus futura eſt, quàm eorum, qui uti in conſpectu exercitus vitam agunt, nec peccare ſine contagione exempli in cæteros, neque puniri ſine communi terrore, & rectiſſimo in futura exemplo poſſunt. Diſcrimen tamen irrogandæ militaris pœnæ à tempore petendum erit, monito Vegetii, *pœna & timor in ſedibus corrigunt, in expeditionibus ſpes & præmia faciunt meliores.* Dum enim in acie ſtat miles & accinctus operi, quid mihi cum minis? niſi ut indignationem (loco virtutis) & murmur provoces, potius amore pignorum & gloriæ, cupidine ſpoliorum, fidelitate in Principem, & ſpe ab eodem præmiorum provocanda ſingulorum virtus; vel denique laus & præmia ſint promptè palamve, pœna ſit velut coactè & ex tacito, pœna niſi cohibet flagitium, laus verò provocat virtutem & accendit animos.

De gerendo bello quid loquar? potius tacebo, quàm me in tam vaſtum dicendorum immittam mare, non quod expedire ſit in arduo, verùm cur Principem ultra promiſſam brevitatem detineam? ſubticere hactenus præſtat, ut brevior ſim, aliquot tantùm monita ſuggeſturus, quorum maximè iners belli Dux arguatur. Prudenter ille bellatori in aurem: *Satis cito incipis victoriam, ubi proviſum fuerit ne vin-*

vincare. Damnandæ verò illæ voces, nam incautæ, periculosæ, improvidæ, *Non quot sunt, sed ubi sunt?* Tum illa. *Tardum sit providere quomodo? audax modo confer manus.* Aut dicto vulgari. *Animosus aggredere, cætera fortunæ committe.* Imò arguendus ille Dux, qui contemnendis quàm cavendis hostibus melior, provisurus potiùs (illudque magis) non quomodo vincat? sed ne vincatur. Neque ab eo capite consilium petat, quomodo castra hostium sint oppugnanda? quomodo incautus hostis invadendus, quomodo acie aggrediendus, sed volvat secum diu animo eum in modum. Cum hoste prudenti res mihi, neque contemnam ejus aut molitiones, aut dissimulatam tarditatem: Potius prudenter verebor, cùm nemo citius decipiatur, quàm qui nihil timet, quem sprevero valentiorem negligentia faciet. Puto verò insidiaturus mihi, ut inordinatum aut lassum meorum agmen in saltu aliquo per valles, fossas, arbusta, paludosa, vadosa loca in transitu adoriatur; quomodo providebo? vel ut fortius impetum suscipiam, vel ne coactus ex insperato pugnem, consternatum militem periculosè hosti oppositurus, ni verò id eveniat, forsan molitur, ut in pernoctando (quo in loco securissimum me puto) præoccupatâ adventus sui famâ celerius advo-

Prius sibi præcavendum.

Consilium quale in bello?

Iter.

advolet invaſurus, quomodo eum in caſum fortioribus vigiliis, caſtris providebo? quomodo foſſa & curribus ſtationes cingere nunquam intermittam? etiamſi per ſecuriſſima loca ſim tranſiturus? partim ne miles ab opere diſſueſcat, partim ut ſemper munitus & paratus ſim, nihil verò ex inſperato illi Duci accidere poteſt, qui nunquam imparatus, tum (ut ulteriora

Caſtra. expediam) illud cogitet. Forſan etiam in ſtativis caſtris hoſtis me oppugnabit die vel noctu, quomodo reſiſtam? ex inopinato aggredietur, quomodo non imparatus ſim? illa pars caſtrorum debilior mihi, illa vigilibus vacua, illic ſubmiſſius vallum faciliuſve aſcenſu, quæ non minùs hoſti nota ſunt quàm mihi, quomodo aut corrigam, aut defendam.

Acies. Jam de acie ipſa. Provocaturus me hoſtis in aciem, non tutum ut ex mea ſententia totum ſuperbus agam, verùm petam veteranorum de eo conſilia, quid facto opus ſit? plura in bello conſilio, quàm telis & manibus geri. Progrediarne? Numeroſus video adeſt hoſtis, non me arte victurus, ſed multitudine incautiorem oppreſſurus, tutiúsne ſit mihi, ut ſub vallo caſtrorum aciem inſtruam? quatenus tergum aciei tutum ſit, ac ipſa caſtra, quibus ſum futurus in propinquo; Tum curabo ut prior aciem inſtruam, quò animoſius videar exſpectare hoſtem, vel

ſi acies

si acies promovenda sit in campum, forsan hostis altera parte suorum castris meis à tergo circumequitabit, ex occasione debiliora oppugnaturus, quomodo partim vallo, partim curribus, tum militibus, majoribusque machinis ac vigilibus (sub alicujus fidelioris Præfecti cura) castra muniam; quomodo providebo ne iis exuar? quæ sunt mihi arx, receptaculum, & ultima spes, ubi (si pellar campo) recepturus sim vires, ordinem & animum, vel omnia mihi in perdito sint si excludar. Jam verò alteram partem hostis in acie mihi opponet? quomodo item aciei meæ providebo, ut magis à tergo aut ad cornua, quàm à fronte confligere paratus sim, hostis enim inde assultaturus, unde minimum speratur, ideò præmittam fortiores equitum, qui positionem campi prius circumquàque lustrent, colles, arbusta, valles, insidiis aut capiendis aut faciendis aptas, prout se res habet mihi ex vero delaturi, quo prior faciam & situ commodiora occupem. Curabo itidem ut aliquid pro mea parte supra hostem commodius habeam, vel aliquam paludem ad cornua seu à tergo, tum *ventum solemve hosti adversum*, equites hastatos quàm plurimos, partim gravioris armaturæ, *cum hastis integris*, partim levioris *cum hastis mediis*, dein situm aciei commodiorem, à tergo aut à la-

Hasta integra uln. Polonic. $8\frac{1}{2}$. *Hasta media uln. Pol.* $5\frac{1}{4}$

E

latere insidias, vel in speciem ex caloni-
bus, vel ex vero (submissis fortioribus
turmis) habebo. Machinas item murales,
Tormenta bellica nunquam non proficua. vulgò tormenta, quinquaginta aut qua-
draginta numero (imò plura si totidem
hostis habeat) pro majori robore educam
in aciem, alia solidis globis, reliqua fru-
stulatis oneraturus, in periculum hostis
propiùs succedentis (nunquam enim
belli Dux negliget, nisi sit incautus & te-
merarius, ut castra sua tum aciem quo-
cunque etiam sub prætextu, machinis sal-
tem levioribus planè nudare velit, quibus
equitatui hostili, imò etiam pediti semper
illudet, ab his suppleturus seu instando seu
Acies. sequendo, quod suis deest viribus) Aciem
verò ipsam sic instruam, pedites cum ma-
chinis, alios in medio velut robur aciei lo-
cabo, alios ad alas excitatis modicis castel-
lis (unde longiori sclopo arceam hostem
ex inopinato venientem) reliquos à tergo
Conflictus. obvertam quò tutior undique sim. Jam
legiones turmasque per intervalla (ne si-
mul omnes turbentur) in dena, vicena-
que (unum post alterum) subsidia divi-
dam, denuntiaturus Præfectis, quis alteri
subsidium laturus; Item ad quam partem
è conflictu redeuntes turmæ se recepturæ,
iterumque ordines restauraturæ? sine con-
fusione reliquæ aciei. Habebo insuper me-
dia in acie ex præparato copiam securum,
ligo-

ligonum, palarum, aggerandæ terræ, si fossa, aut aliquod munimentum (prout res suaserit) derepentè medio in prælio excitandum sit, pro meliori suorum defensa, cedendum mihi campo? providebo maturè, quomodo non fugiendo, sed confligendo recipiam me in castra, ut seu aliquod munimentum instanti hosti objiciam, vel ut una pars cedat, altera interim impetum sustineat; vincam? quomodo hostem sequar, non effusus, non incautus, aut si pars meorum effusè tergo fugientium inhæreat, pars tamen altera non turbatis ordinibus lentè sequatur (si se hostis obvertat, ac meos cedere iterum cogat) inferendum subsidium, tum quomodo eodem impetu castra hostium capiam, neque prædâ mei milites occupentur, quâ impediti in cætera negligentes, hosti recolligendi vires, tempus, concedant. Quomodo insuper prosequar victoriam, utarque recenti terrore in hostes, ut potius fugientem hostem ad internecionem sequar, quàm ut recipiendis urbibus immorer, ut totius (ut ajunt) *campi Dominus sim*, omnia aut metu opplendo, aut impediendo, ne hostis alicubi conveniat, castrorum nomen facturus. Tum ne per modica distrahar, sed caput rerum petam, neque imiter Annibalem, qui vincere scivit, victoriâ uti nescivit, cum aut

Victoria quomodo prosequenda.

cunctatius ageret, aut *Capuam* mallet, quàm sedem imperii *Romam* petere. Instandum verò est opinioni, & recenti famæ victoriæ sine respirio (ut ajunt) quæ confessos cladis, ipsos subjugat animos. Sed ut tandem eam curam boni Ducis satis enarrem, claudam verbis *Livii* (in exemplo Philopæmonis libro XXXV. Histor.) Philopæmen dum iter quopiam faceret, cùm solus erat secum ipse cogitabat animo, cùm comites haberet, ab ipsis quærebat, si hostis eo loco apparuisset, quid si à fronte, quid si à latere hoc aut illo, quid si à tergo adoriretur capiendum consilii foret, posse instructos recta acie, posse inconditum agmen & tantummodò aptum viæ occurrere, quem locum ipse capturus esset, cogitando aut quærendo exequebatur, aut quot armatis, aut quo genere armorum (plurimum enim interesse) usurus, quò impedimenta, quò sarcinas, quò turbam inermem rejiceret, quanto & quali præsidio custodiret, & utrum pergere quâ cepisset ire viâ, an eâ, quâ venisset repetere melius esset, castris quoque quem locum caperet, quantum munimento amplecteretur loci, quà opportuna aquatio, quà pabuli, lignorumque copia esset: quà postero die (castra movendo) tutum maximè iter, quæ forma agminis foret? His curis, cogitationibusque ita

ita ab ineunte ætate animum agitaverat, ut nulla Philopæmoni nova in tali re cogitatio eſſet. Verùm quomodo ego aut meis aut aliorum verbis ſingula ejus rei momenta enarrem? Dum igitur hæc pro tua parte cautius penſaveris, in defenſam omnia providendo ne vincaris, jam ex facili res ipſa expediet, ut hoſtem vincas, ſimilia in eum machinando, modò cautè & animosè rem aggrediaris. Qui verò vereri ſcit, ſcit tutè aggredi.

Quomodo novitio milite bellandum.

Sequitur alterum ut ſuggeram, quomodo noviter lecto milite bellandum? Summus error ille ſit belli Ducis, ſi novellum militem ſtatim eduxerit in aciem, qui nec vidit hoſtem, neque expertus periculum, utve ſuccedunt bellorum momenta & caſus ignorat, ac proinde ex incognito plus periculi (quàm ſit) imaginatur, dubitans de viribus, pavens de ſucceſſu, niſi apertum omnino periculum quærat. Ideò ultra quod exerceri tales opus ſit in armis & ordine pugnandi, ſed etiam periculum faciendum virtutis, falſum tumultum aliquando in ſpeciem venturi hoſtis de induſtria excitando, ut certum ſit experimentum audaciæ vel pavoris. Confirmandi igitur paventes, reducendi in ordinem, in quo turbatum ſit admonendo, quæ (tumultu excitato) defendendo occupanda? quæ ſequenda? quis ordo per

omnia tenendus? edocendo, turbatis omnia periculosiora, si verò sibi per virtutem constent omnia esse in facili, sed cur metuendum sit, dubitandum, utrinque humana esse corpora, æquè vulnerum si fortius infligantur capacia, undique adesse arma, fortioribus modo adesse fortunam. E sua parte aliquid superius haberi, belli & causæ justitiam, Deumque partium fautorem, vires, exercitatum militem, suamque Ducis vigilantiam, modò ipsi fortiora meditentur. Dein exercitum locis tutioribus instrues non pugnaturus, verùm ut tui novelli videre hostem, agnoscere periculum, interdum ex occasione aliquid felicius tentare assuescant, & minorem famâ metum videant. Si verò res suaserit, debiliorem partem hostium aggredére, quo tui tyrones animum ex fortuna sumant, & in ulteriora capiant spem, secus verò si primo congressu periculum experiantur, demittent ex animo, nunquam aut serò resumpturi. Caveat ideò prudens Dux belli, ne tyrones milites velitatum ire jubeat, nisi unde certa spes felicis successus veniat, sit securus, potius veteranis secundorum dubiorumque peritis in eam rem usurus.

Non pugnare vincere aliquando est.

Jam quod prope est, post acceptas belli jacturas & clades, ac post amissas victorias, certum est residuos milites aut novos exercitus minori animo (propter conscientiam

tiam præteritorum) rem agere. Quare prudentiæ Ducis ſit ad erigendos & reparandos ſuorum animos, ut primo congreſſu non confligat cum hoſte vincere conſueto, & ex memoria præteritæ fortunæ audaculo, ſed illi reſiſtat, antequam ille impetus hoſtium & fervor animi evaneſcat, neque eum primo motu aggredietur, verùm ſeſe in acie pruəpnter tuebitur. Sic dum agnoverint tui poſſe ſe non confligendo reſiſtere ac defendi, in reliquum cogitabunt (ſi adverſus arma & vires fortius expediant) poſſe hoſtem vinci, imò hoſtis ipſe demittet ex audacia aggrediendi, qui ſic prima ſpe victoriæ fruſtratur. Idque unicum conſilii ſuppetebat ***Fabio*** Maximo pro Romanis contra victorem Annibalem; avidius enim prælium poſcenti ***Minutio*** magiſtro equitum dixiſſe fertur, ut lentius ageret, & ſe potius cunctantem Ducem, quàm Sempronium Flaminiumque (malo ſuo) properantes imitaretur, haud parvam rem eſſe inſinuans ab toties victore hoſte vinci deſiiſſe, & à continuis cladibus reſipiſcere.

Cunctationemne in ordine belli monitorum omittam? minimè; Velocitas prope formidinem, cunctatio propius conſtantiam eſt. Sunt verò nonnulli Ducum altioris conſilii inopes, quàm ut ſibi ad conficiendum bellum ſatis putent, quære- *Cunctatio qualis.*

re, inveniſſe, ſtatimve confligere cum hoſte, cæterorum improvidi. Cur verò prudens Dux belli cum hoſte confligat quem morâ ſuperaturus eſt? aut cujus conſilia ardorem, robur, modumque bellan di nondum expertus ſit; Impetu venit hoſtis, provocat, illudit, tu potius illude, oſtentando prælium, aliquando velut metuendo, ſæpe verò vexando, per agiliores equitum inſidiando, pabulatum, lignatum, aquatum prodeuntibus; inde experiere quid conſilii, quidve virium, quid prudentiæ inſit hoſtibus, aut potius ipſi hoſtium Duci, tum illi fiduciam inſinuabis, ut te contemnat incautius agendo, unde tibi commodior occaſio futura invadendi. Non alia res magis profuit Annibali contra Romanos bellanti, quàm cum intimam Romanorum Ducum naturam penitius introſpiceret, & ſuo quemque involveret ingenio (non ſine multa doctrina legas locum *Polybii*, Libr. 3. Hiſtor. Num. L X X X.) Avaris igitur prædam objicies, paventibus ingeres ſecuritatis fiduciam, velut per incuriam agendo, ut metu ſoluti, remiſſius agant, furentibus tum igneis (metu præſertim ſimulato aut fuga) ſuggeres proſiliendi temeritatem, & ſtrues inſidias, leviculos ſpecie tractatuum pacis ludificabis, faſtuoſos tum iracundos & moræ impatientes, partim po-

Ingenia Ducum hoſtilium noſcenda.

populationis oſtentatione à longè & furtivis accurſibus vexabis, quo (pro temerario faſtu) *incautius provolent, & à munitionibus ſuis deſtrahantur*, partim hac & illac te transferendo (per modum cedentis) itinere fatigabis, in *confragoſa & impedita abſceſſurus*, ſummam prælii differendo in tempus, quod tibi vincendo ſit commodum. Sunt præterea hoſtium aliqui, quibus exercitus tumultuario collecti, commeatus, ſtipendia, non diu ſuffectura, æſtate alacres, hyëmis impatientes, aut quos majora domeſtica bella, alio brevi avocant, ideóque compendio de ſumma belli tecum armis tranſactum mallent, cur verò conflictus periculo te committas? non dubius quod talem hoſtem trahendo, ſedendo ſuperaturus ſis. Domi tibi res agitur, ideóque omnia commodiora, illi in externo, eoque omnia impedita.

Quomodo potentior hoſtis eludendus?

Si verò nimium potens ſit hoſtis & ſupra te numero valeat? non incautus, ſed imprudens ſis, ſi prælium exoptes: oſtenta potius in ſpeciem arma, quaſi aliquid animosè moliturus, quo impotentiam tegas, huc & illuc iter per tranſverſum meditere ne intelligaris, moliaris transferre arma in hoſticum, vix aliquando ſtativis caſtris moreris, partim ne alicubi per potentiam hoſtium intercludaris, partim ut

illam ingentem molem exercitus itinere diſtrahas, laſſes, conficias, in terram non frugiferam eliciendo, te ſequendi occaſionem daturus, ſi præſertim præ te fers illius terram te invaſurum; interim dum hoſtis incautius agit in itinere te ſequendo, obſervabis occaſiones ut inſperatus advoles, extremum agmen aut latera incautius euntium carpendo, eoque magis metueberis oppreſſum ex inſperato veniens, qui opprimi nuper metuebas. Occaſio verò plus in bello juvare ſolet quàm virtus, oblata caſu flectendo ad conſilium. Si verò non ſequatur te hoſtis? procul dubio vel fiducia ſuarum virium, vel tui contemptu negligentius aget, tu interim qui tres quatuorve dies conſumpſiſti lentè abſcedendo, unam diem curſim revertendo adhibe, inſperatum ac palantem oppreſſurus.

Aliquando ſpecie paciſcendi diſtine bellum, donec tua auxilia contrahantur, miſſurus interim nuncios, ut potius ſpeculentur hoſtica, poſitionem caſtrorum, ordinem, vigilias, *tum omnia in ipſius Ducis fronte legant*, animum, prudentiam, perſpicacitatem, impetune an prudentiâ ducatur, exploraturi. Imò (ut omnia expediam) ægrotum te Ducem ſimula, ut remiſſius eoque incautius hoſtis agat, aut difficultates tibi aliquas adeſſe aje; ſed quis calamus ſatis omnia perſcribat? Nullo igitur

tur loco nisi quantum necessitas cogit, ultimam prælii aleam comitte fortunæ, & nisi certus sis de victoria, non pugna, idque tunc solùm, quando tu vis ex præparato, non quando vult hostis; Præliorum enim errores emendationem non suscipiunt, cùm in bello semel erranti peccare iterum non liceat. Nec vereare, quòd tua cunctatio acerbiorem censuram & titulum meticulositatis latura apud invidos seu apud imprudentiores civium; Non ad famam vulgi, verùm ad utile publicum te compone, memor illius. *Sine timidum pro cauto, imbellem pro perito belli vocent, malo te sapiens hostis metuat, quàm stulti cives laudent.* *Non temerè ultimo prælio res committenda.*

Sed tamen non in tantum cunctabundum te volo, ut arma omnino comprimas; stultitia sit sedendo & votis debellare credere posse, imò tardando tui apparatus pars maxima perit, stipendia inaniter trahuntur, quibus ultra vix sufficias, commeatus minuitur. Potius cum paratus es, aggredere hostem, quàm cùm exhaustæ tuæ vires & ærarium, imò antequam vigor animi in milite (quod sæpius fit) cunctabundo non evanescit. Imò dico adhuc, stultitia sit cunctari, si indies aliquid potentiæ hostium accedere vides, tuæ verò demptum, potius conflige, antequam reliquas copias, socios, apparatum belli *Cunctatio non semper cauta.*

hostis contrahat, aut per omnia valentior sit.

Quomodo legenda & figenda sedes belli.

In tota scientia belli, è decem mille monitorum unicum sit, mihi verò dum per compendium rem ago, *Quartum & Vltimum* erit monitum, ut sciat belli Dux quomodo legat sedem belli, & unde commodius arma inferat, tum quomodo? hæc omnia suggeram promiscuè.

Mitte in hostile vulgus famam, non omnes, sed aliquos à te peti; ne dum simul omnibus metum incutis, omnes in arma valentius commoveas. Hunc igitur & alterum è rebellium capitibus persequendum te aje, reliquis parcendum si ab armis desistant, cùm magis error sit penes rebellionis Duces, quibus pro libertate universorum in speciem, sed verius pro suo ipsorum privato ambitu, studium inest alieno periculo decertare. Quò verò majorem fidem facias, captorum nonnullos sine lytro dimitte, de reliquo præmia promittens, si ea quæ tibi sint consilii in vulgus deferant, unde diffidentia inter hostes orietur. Si verò cum externo hoste bellandum tibi, eodem consilio uteris, clementiam patentibus literis denuntiando, neque libertati aut bonis eorum vim inferendam, qui arma deposuerint, ideóque ab omni vastatione & nece inermium abstinendum; vel etiam, vulgo parcendum

aje,

aje, Optimatum inquietam insolentiam peti, unde causa belli. Quare severissimâ pœnâ prohibeantur milites, colonis aut arantibus aut seminantibus, tum vicis & oppidis vim inferentes, rapiendo, vastando, urendo, sed potius velut cum suis familiarius agant, nihil præter victum petituri (neque id superbius, verùm quod expositum fuerit contenti) signo dato, ut de illata injuria ad Præfectos deferatur, non per flagitia, sed per virtutem quæri sibi vincendi viam. Quocirca priores oppidanorum ad te voca familiariter allocuturus, metum demendo, modò fidem cum opera obstringant (lytrum tamen oppidorum non intermittes, obsidibus fidei è potentioribus civium acceptis, cuique redimendi libertatem potius daturus, quàm ut vastentur, unde habebis æs suffecturum stipendiis militum. Quæ verò sub prædam miseris, neque militem ditabunt, neque tibi usui futura, stipendium tamen interim crescit aliunde, providendum) meliora à te quàm à suo Principe speraturi. Incredibile dictu quantum hæc in animis vulgi valeant, hi tibi potius tam præ metu quàm pro virtute, futuri magis quàm suis faventiores, inde compendium viarum, inde omnia hostilia (quid consilii intersit) facilè disces. Deinde cura, ut aliquem munitum locum pro fugienda sede

belli intercipias, non verò quicunque in obvio fuerit, verùm unde hoſti maximè nociturus ſis, unde faciliorem annonam & omnem commeatum petas, ubi ægrotos ſauciosſve, tum graviora impedimenta ſecurus relinquas, tum ſi ſors adverſa cadat, tutum in propinquo receptum habeas, ut nihil à tergo hoſtile ſit, verùm liber à tua terra tranſitus aperiatur. Commodiſſimus verò in eam rem locus futurus, qui ad fluvium aliquem navigabilem ſitus (nulla verò re ſcias facilius dividi inter ſe, & diviſam debellari Provinciam, quàm fluvium aliquem navigabilem intimiora regionis petentem ſibi vendicando, quæ ad littus ſita ſunt, tuis præoccupando armis, ut his quaſi injectis compedibus, totam Provinciam facilius teneas, interruptam conjunctionem virium beneficio ſubjugati fluvii ſemper habiturus) quo utaris majori commoditate fluvii in defluitando commeatu, utve hoſti eam opportunitatem intercludas. Si verò tale fortalitium interceptu difficile ſit, cùm tibi ſecuris, pala, aut ligo præ manibus, ubique fortalitium pro commoditate non difficulter exſtrues, ſi præſertim per turmas, cohorteſque, ſingulas partes valli muniendas dividas; Tum validam peditum manum pro tuendo loco relinques, cum ſtrenuis equitibus, qui omnia circumquaque oppleant

Linea communicationis maximum bellandi arcanum.

pleant metu, excurrendo, commeatum undequaque aggerando, abhinc si opus fuerit exercitui submissuri; Dein ex eo loco ultra ulteriusve arma in diversa promovebis, intimiora tamen regionis caputve rerum petendo, quæ verò loca tuæ commoditati non accessura, potius ea demoliaris, quàm ut militem per præsidia distrahas; verùm eo in passu cautionum sit maxima, ut nihil hostile à tergo relinquas, unde subsit periculum, sed tutus tibi ad tua fortalitia receptus sit. Deinde maxima prius invade, unde in minora metus, sed ea utique invadenda quæ in te sint vincendo, ne si aliquid ultra vires tentaveris, impotentiæ arguaris, hosti majorem animum resistendi in cætera suggesturus. Ideóque aut res non tenta, aut si tentaveris, cura omnino ut præstes. Ea enim maxima bellorum fama, *Prout prima cesserint, fore universa.*

Præmia belli laborum.

Verùm injurius sim militari virtuti, si post rigorem disciplinæ & præliorum pericula (quæ copiosius recensui) de præmio laborum subticeam? Nequaquam igitur tacebo? scio enim, quòd datura hæc res animos tyronibus ad magna audenda, cùm viderint in senectutem reposita virtuti, laboribus, sanguini, præmia; gaudebunt adolescentes sanguinem fundere mercede coronandum, nec vulnera juventus perhor-

horreſcet præmianda, oculum, manum, pedes largietur; ſat oculorum, manuum, pedum dives, Principis ſui munificentia præmiandorum, neque ſentiet auro contecta vulnera; Loquar igitur idque ſub Romanorum imagine, ſatis (ſi exemplum ſequamur) ſuggeſturus. Perquirenti cauſam curioſius, magnorum in Romana olim urbe exemplorum, ſive virtutem togatam, ſive militarem (quod magis mirêre) ſexus utriuſque ſpectare opus ſit, ut ſi exemplar magnæ virtutis quæras, non alium quàm Romanum civem nominare ſit neceſſe. Nec alia ſubeſt ratio, quàm quod nullibi honoratam magis (ac proinde tacitè reliquis inculcatam) virtutem videre ſit, quam fuit apud Romanos, vel aſtu credo vel conſilio videntur excogitaſſe Romani ſtatuas, quas ex ſenatus conſulto benemeritis erigebant, aut equeſtres aut pedeſtres, non viris modò verùm fœminis, nempe ut ſexui utrique, non deeſſet ad rectè faciendum allicimentum & occaſio. Quorum verò virtus non æquavit honorem ſtatuæ, reperere minora præmia, murales videlicet obſidionales, civicas coronas, tum togas, prætextas, balteos, annulos & cætera virtutum inſignia; neque obſtabat ætas, quominus minueretur honor virtuti: Mirabar inde cum legerem, Æmilio Lepido, cùm puer in aciem

aciem progreſſus hoſtem interemiſſet & civem ſervaſſet (parva nec mira in viro, ſed rarâ quia in puero virtute) ex ſenatus-conſulto poſitam fuiſſe in Capitolio ſtatuam bullatam incinctam prætextâ, ut juſtè magnitudo imperii ex eo ſequeretur, ubi tantoperè honoraretur virtus, præmio qui præſtitêre & incitamento poſteris; ſummum credo hinc aderat omnibus ſtudium per virtutem innoteſcendi Reipublicæ, cùm omnis virtus ad ſenatum deferretur, non magis penſanda quàm honoranda, ut verè non alia aut major, aut prior cura ineſſe debeat Rempublicam in melius ſtabilituro, quàm ut ſuus ſtatuatur honos virtuti, in eam rem aliquem Magiſtratum ſubſtituendo qui referat Principi & Reipublicæ, ſeu ad quem deferatur de benemeritis. Verùm ego iterum ad Romanos redeo, quorum alteram ex eo prudentiam colligo, qui maluêre honore quàm præmio recompenſare virtutem, partim ut minus impenſæ incumberet ærario in ponenda ſtatua, quam ſi divideretur multis in præmium, partim ut omnibus inculcaretur, virtutem ſui præſtantiâ non utilitate (quod ignavorum eſt) penſandam, credo verò pluris valuiſſe generoſo pectori memoriam poſthumam virtutis, quàm dona in auro & maxima, in præſens præmia, quorum

rum acceptorum perit cum accipiente memoria, positæ verò statuæ, seris sæculis & ignotis, famam magnæ virtutis loquuntur, obviis quibusque per publica fora, plateasve incursuræ in oculos, nomenque gloriosum ignotis suggesturæ. Prudenter item ille Regum, nomina strenuè aut pugnantium aut occumbentium certum in librum describi curabat, statis temporibus coram exercitu (præconii loco) lecturus, ad erigendos animos reliquorum; Verùm quid plura recenseam? cùm ad praxin nostri sæculi & usum, non desint hæc & similia virtutis aut præmia aut signa, aut incitamenta; honorata videlicet bello cæsorum sepultura, præconia, inter illustres viros cathalogus, tum præsertim aurea numismata appendenda collo, propriis nominibus & brevi superscripto gestorum titulo insignita, levioris impensæ danti, summi præmii & honoris accipienti, cum tacitus quisque ad aspectum gestati signi, merita & exinde nominis gloriam ignotis etiam inculcaturus. Fulgeant alii togâ, aut holoserico, reliqui incedant illustri circumfusi famulitio, quæ nascendi & fortunæ sors immeritis sæpe confert, multò gloriosius hic solus incedet, audaciusque se ingeret cuique virorum coronæ, magis ab omnibus honorandus ex virtute, ex merito, & oblato

eorum

eorum teſtimonio. Quæ verò merita à ſola memorantur rectè factorum mercede, quàm procul eſt illa ab aſpectu oculorum ignota, tam procul ab obviorum æſtimatione futura.

Caſtrorum pietas.

Sed jam finem facio, & eum videlicet qui eſt finis omnium atque ideò univerſi belli, ut curet Dux armorum exemplo præiturus, quatenus miles *Deum* publicè colat, velut authorem ſuæ ſalutis in acie, & victoriæ poſt prælium; imitaturus victorioſum Principem, qui matutinis, veſpertiniſque precibus militem ſuum adeſſe cogebat, imò certos dies ſtatuit, quibus turmarum Cappellani prælata imagine caſtra obirent, pios ſacrarum Litaniarum textus concenturi, ipſe verò devotè ſequebatur & primarii militum præfecti, omnibus futuri in exemplum. Publicis item concionibus ſacerdotes accendebant militum animos, in defenſam religionis, Patriæ, proximorum, opem Dei melioribus pollicebantur, futuro prælio animos confirmaturi. Vix enim crediderim, illam quam requirimus audaciam aliunde ingenerari, quàm cùm modeſtiæ & virtutis, non verò rapinarum injuriarumve in pauperes, ſibi miles conſcius eſt. Quid pluris? ſummi Imperatores, ſummique bellorum Præfecti, hinc cauſam & opem armorum petebant, & in hoc feliciter triumpha-

phabant, videlicet ſummo & maximo Deo. Nos item Poloni in eodem ſperamus, quia ſuo Nomini daturus gloriam, ne ſanctum *Chriſti* nomen in nobis Chriſtianis polluatur, à fæce hominum Barbarica.



II

RATIO LEGATIONIS

Mittendæ, Agendæ & Recipiendæ.

Omnia per modum Monitorum aphoriſticè punctatim ſuggeruntur.

Quæ circa *Miſſionem* conſiderantur?

ETſi plures mittantur legati, unus tamen legationi præficiendus.

Fides legati eſt pro maxima virtute, ideò leviuſculi, loquaces, & ſuſpecti, removendi à munere legationis, ſed potius qui vitam ponere ſint parati, pro fide ſibi commiſſorum.

Bellicoſi, magni & interriti animi, tum generoſi & prudentes, cauti & circumſpecti (pro materia legationis Pacis aut Belli) in legationem eligantur, imò pro natura & genio gentis, ad quam mittuntur legati. Si

Si adeatur per legatos gens aliqua barbara, aut cui nulla fides, obſides prius accipiendi, antequam legati eo mittantur, ideò per minoris ſortis homines (bonæ tamen & incorruptæ fidei) tales legationes habendæ, ſed verè circa quoſvis tractatus haud ſecurè legatos ad hoſtem mittas obſidibus nōn acceptis, deſpectius enim habebuntur tui, eoque multa ab iis poterunt extorqueri, quæ tibi obfutura ſint, ſecurius ideò per deputatos utriuſque partis, tractatus in parte habebuntur, in aliquo intermedio, inter hoſtes tuoſve loco, & in æquali armatorum comitatu, ille verò qui directè ad hoſtem tractando mittit, precario tractabit.

Crebræ legationes & diuturnæ apud exteros, exoticos retrò mores in Patriam (ac plerumque nocivos) adferunt.

Perpetuare aliquem legatum in legatione celebri, non probo, ne ex legato Principis faſtum induat, & Provincialium affectum arte varia ſibi paret, aut ſi familiaris externo Principi eſſe aſſueſcat, periculum ne aut ſecreta prodat humaniter habitus, aut cum loco & conſuetudine affectum transferat in exotica.

Legati mittendi quia antea verſabantur in exteris nationibus, & variorum populorum, genium, mores, & linguas norunt, ſed ſuorum tamen morum ſunt tenaces.

Maxi-

Maximorum arcanorum & ſecretorum Reipublicæ conſcii non mittantur in legationem, multa & varia ex cauſa.

Triſtia, moroſa, & faſtuoſa ingenia à legationibus arcenda, nihil enim adferunt præter exacerbationem, una moroſitas provocat aliam, acerbitas una aliam.

Diſſimulativa ingenia vel maximè apta ſunt negotio legationis.

Non mittendi legati, qui odio laborant apud eos, ad quos mittuntur, potuerunt enim aut ſcripto aliquo, aut convitio, aut aliqua re odium ſibi parare externæ gentis.

Mediocritas ſit in legati comitatu, parva enim laus & brevi duratura, quæ à legati pompa paratur (& potius importunæ oſtentationis cenſuram meretur) maximum verò damnum, dum ærarium publicum impensâ gravatur, legatio magis ponderatur à prudentia viri, non à levi exterorum oſtentatiuncula, quanquam ne in iis honeſtas negligenda.

Fit aliquando, ut mittantur agentes cum legatis, quaſi rerum levioris momenti procuratores, verè autem earum quæ maximè appetuntur, ut legatus interea quaſi neſcius, incuriuſve aliud agat; illi verò interim rem exſequantur, ea velut non curando, quæ maximè quæruntur.

Non Doctores & ſpeculativi, verùm practici & ſanguinei ſunt optimi legationi.

Fama-

Famati viri mittendi, de quibus magna opinio etiam apud exteros. Sunt enim aliquando prudentes & honesti viri, qui nec tamen fieri possint occulto quodam fato æstimati; qua in re vis fortunæ ignota dominatur, ut ille habeat bonam famam licet parùm præstet, iste non? etsi sit penes magnam virtutem.

Legatus indigena sit, partim pro dignitate gentis, ne inopiâ virorum laborare videatur, partim quia incolæ rerum suarum peritiores, & momenta rerum penitius intelligunt, quas imbibere cum natura, quæ ab alienis videntur esse aliena.

Bonæ Prosapiæ sit legatus, ne aliquid in dedecus illi objiciatur, item specie præstans & firmus corpore, non valetudinarius, se magis quàm sibi commissa curans, bonæ ætatis etiam; nam major ratio ab ore senum exspectatur & gravitas, licet taceant.

Opulentum legatum velim, ut magis generosè agat, neque muneribus corrumpatur, quibus acceptandis egeni faciliores sunt, tum ut obsides suæ fidei in Patria relinquat, ut sunt opes, uxor & liberi, pauperes verò nec liberales de suo, nec munifici esse possunt, & Patriæ suæ gloriam minus attolunt, opulenti legati etsi non corrumpant exteros dando, non corrumpuntur tamen accipiendo, & quia dare

dare poſſe videntur, jam corrupêre plurimos.

Nonnunquam mulierum legatio profuit ex natura legationis, velut Romanis Veturiæ legatio ad Coriolanum profuit.

Prohibeat Princeps legato ad hoſtes eunti (aut ad aliquam ſuſpectam gentem unde hoſtilitas emerſura ſit) ne laſcivo & profuſo ſplendore, tam in veſte quàm ornamentis equorum utatur ipſe, & ſui, ſed potius fortes viros, robuſtos, magnanimos, & quorum in facie militaris virtus legi poſſit, ſecum trahat, quorum non alius ſermo ſit, niſi de armis, equo & acie, potius militariter (honeſtè tamen) panno veſtiantur, quàm aulicè, molliori ſerico, equos verò generoſitas ſua non ornamenta recommendent.

Aliqua ſecretiora mandata dabuntur oretenus legato, non ſcripta calamo, quæ caſu amiſſa, aut inſidiosè intercepta, negari nequeant (nam aliqua ſunt quæ ſine arte perfici, & ſine rubore prodi non poſſunt) magnæ igitur ſequelæ arcana, auribus potius quàm tabellis tradenda.

Nonnunquam mittuntur legati, ut nonnulla ſecretiora per literas ad ſe mittantur exequenda, idque tunc nonniſi aperiendas, cùm prius aliquid peractum fuerit, & cùm eo loci temporiſve perventum, ubi exequenda ſunt mandata.

Aliam potius caufam tractandæ rei legato ediſſere, quàm veram quam intendis, ne ſecretum adipiſcendarum rerum emanet, eoque difficilius obtineantur.

Secretarius attribuitur legato, in caſum mortis.

Plures legati mittendi (aut duo ſaltem) partim ne unus impensâ gravetur, partim ut arduo negotio plures facilius ſufficiant conficiendo in diverſas partes, practicando inter purpuratos, reſpondendo, unus tamen præficiatur, ne pari æmulatione res impediantur.

Qui Princeps eundē ſæpe in legationem ablegat, penuriâ virorum videtur laborare.

Si errat ſuus legatus, non ſtatim minæ intendendæ per literas, niſi poſt exactam legationem, ne ſi gratiæ omnem amiſerit ſpem, per turbas evadendi viam quærat, omnia turbaturus præſidio ſui, vel quia deſperavit.

Privati cives, legatos ad exteros non mittant, ſub crimine læſæ Majeſtatis & Reipublicæ, neve ad ſe miſſos recipiant, aut ſi receperunt, literas omnes & ſeriem legationis ad Principem deferant, ipſumque legatum ad Principem venire cogant.

Si contigerit retineri noſtrum legatum alicubi, peregrini itidem ejus gentis, mercatores, & merces in noſtra terra pro obſidio legatorum capiantur.

Fidos

Fidos & experientiâ magnos, legatus ſecum in comitatu ducat, qui eum in arduis juvare poſſint.

Ut à noſtris hoſtibus prius ad nos mittantur legati (quod eſt loci inferioris ſignum) per amicos quoſdam Principes intermediæ amicitiæ tentandum, ut inducantur.

Legato ad hoſtes eunti, ſuperflua pecunia detur, ad corrumpendam hoſtium fidem, cogitemus perturbationes, tumultus, ſeditiones, inteſtina mala, venalia eſſe negotiorum indicia & inſtrumenta, quibus atterantur conſilia adverſa.

Interdum à nobis mittuntur legati, ut ſubdola cunctatione perficiamus interim quod molimur.

Dum ad ſeditioſos componendos legati aut commiſſarii mittuntur, prius per literas compellandi, an ad ſe mitti fide publica ſinant.

Juvabit ut ipſe Princeps legat tacitus literas ſui legati, nam aliquando ea ſecreta & res ferunt, quas ipſum Principem ſcire decet, prodita verò impediantur, aut quibus facilius obviare poſſit Princeps dum ſunt in tacito, quàm dum hominum ſermonibus percrebuerunt.

Nonnulli legatorum ſecreta legationis occultis literis & fictis characteribus Principi nuntiant, ideò priuſquam diſcedat in

legationem obeundam legatus, edoceat Principem, imò Princeps condictamen ſecretorum characterum faciat cum legato.

De Hiſpanis legitur, eos plerumque ex Monaſterii ſolitudine legatos legere, nam præter legationis ſumptus reciſos, fidem quoque ejuſmodi feciales & reverentiam cuique negotio faciunt.

Tempore tractatuum pacis, maximas procuret ſibi vires Reſpublica, non ſolùm ut omnis ſpes hoſti adimatur ſe ſuperandi, verùm etiam, ut eò reſpectu potentiæ, mitius pro ſua parte agat hoſtis, noſtris verò durioribus conditionibus non recuſet, nam certè paciſcendo ille ſuperior, qui potentior.

Locus tractatuum pacis ſit prope nos, vel prope noſtros confœderatos, ut difficultate oborta, facilius ſit conſilium è proximo, & ſecuritas commiſſionis.

Etſi confœderamur in oppreſſionem noſtrorum hoſtium aut ſuſpectorum, tamen ea confœderatio ſub prætextu reciprocæ defenſionis quærenda, mutuum emerſurum incommodum edocendo, ni confœderetur, ut facilius fœdus alteri perſuadeamus.

Aliquis meliorum Principum ex fœdere, pro capite fœderis eligendus, qui ſua dexteritate & diligentia, arma, pecuniam,
com-

ommeatum curet, cui omnes ſint au-
iendo, ſi verò diverſa ex parte bellum ſit
erendum, plures in eam rem deligendi.

Non credendum in fœdere, niſi quod
oſſibile ſit credendo, conſiderandum
empus, neceſſitas, genius confœderati
rincipis & conſtantia, an mutuo bono,
n proprio tantùm quid velit? an colores
n ſpeciem quærat?

Ad penetranda conſilia ſuſpecti Princi-
is aut populi, commodè præſtabis, ſi ſub
rætextu quærendæ amicitiæ aut legatio-
is (conſilium dando, vel te in partem
uxilii offerendo) eò mittas. Tum omnia
bi explorata venient, conſilium, vires,
ommoditas, populi concordia, aut in
ebelliones facilitas & cauſæ, fides, con-
antia, imò multi ex purpuratis ea com-
noditate novæ conjunctionis amici para-
untur, vel ut proſint, vel ne noceant.
Cavebis ergo tibi à tali amicitia colorata
c legationibus, ne te illis totum credas.

Videat Reſpublica ut exceſſivam pom-
am legationis prohibeat, nam ultra hoc
uia cives legationibus exhaurientur (ſi
rivatis ſumptibus agant) etiam adeſt me-
us, ne populi ad quos eunt legati, à ſu-
erfluo ſplendore ſpe prædæ & divitiarum
lecti; ad bella incitentur, at quod maxi-
num, alter legatus qui poſt iturus eſt (niſi
imili ſplendore agat omnia) levi pende-

 tur,

tur, ut quaſi neceſſaria exhauriri debeat expenſa pro æſtimatione ſui, prout evenit poſt legationem (in Turciam) noſtri Ducis *Zbaraſkii*, qui peccavit non leviter in in eam rem profuſo ſumptu legationis & ſplendore

Secreta commiſſa, legato tunc ſunt danda aut aperienda, cùm eſt in procinctu itineris, & ferè currum ſcandit abiturus, ne illi tempus ſuppetat revelandi quæ accepit mandata; etſi enim non aperit ſecreta legatus, ex ipſo tamen nutu aut geſtu, & ſignis internis lætitiæ, aut Melancholiæ multa excerpuntur, quæ præcox abitio interrumpit. Idem ferè obſervandum in privatis negotiis alicui (exequendo) demandandis, quæ ſecreta habere vis.

Si per diverſorum Principum terras legato tranſeundum ſit, præmoneat eum Princeps, an in tranſeundo obvios Principes (& qua teſtificatione amicitiæ) ſalutare debeat, tum literas ſeparatas ad eos det, vel (quod præſtabit) aliquot membranas literarum manu ſua ſubſcriptas fidei legati committat, ſuperſcribendas prout ratio temporis & rei popoſcerit, de quo etiam ipſe legatus à Principe informari velit, omnia quæ oboriri poſſint in legatione, ante prævidendo.

Tutum verò fuerit, ut Princeps aut aliquis purpuratorum nomine Principis, mino-

minorem aliquem præcurſorem legationis mittat, præſertim ad ſuſpectum populum, explorando quo affectu legatio excipienda ſit, ſed vel maximè pro ſecuritate legationis, legatum verò ipſum omni fide literarum & teſtimonio ad obvios populos muniet, ne alicubi detineatur.

De fœdere agendum per legatos maturè (præſertim ſi aliquid viribus tuis in dies demptum iri vides) antequam vires tuas debiles cognoſcat hoſtis & ſuperbus reddatur, ideò ſimulanda omnia tibi eſſe fortiora ante paciſcendum.

Nemo ſocietatem armorum quærat cum potentiori, aut etiam cum nimis infirmo; hic ſuâ ruinâ te involvet, vel magnarum impenſarum erit cauſa, ille quos ſocios habet, pro potentia reget. Inter pares firmiſſima ſunt fœdera.

Quæ in agenda legatione conſiderantur.

SEriam informationem legationis ſuæ petat legatus à Principe omnia quæ difficilia occurrere poſſint, maturè ſcrupuloſiuſque imaginetur, ut ſcripto punctatim annotata Principi proponat; Quid hoc vel illo caſu agendum? quid reſpondendum? perquirendo, de quibus certior

fieri cupiat Princeps, & qua occasione? de quibus non?

Instructionem sufficientissimam, tabulas fidei seu liberi transitus, tum literas ad Principes commendatitias & purpuratos secum accipiat, imò nudas membranas literarum manu Principis subscriptas (pro rei occasione superscribendas) petat, à Principe, quibus si opus non fuerit, fideliter eas Principi redditurus postea.

Interpretes linguæ (ejus gentis ad quam venit) fidissimos habeat, plures quàm unum, pro meliori fide, & potius è sua gente sint, quàm ut è peregrinis sumantur.

Si in remotiores terras eundum sit legato, præsertim ad barbaras gentes, procuret diligentius in itinere, ut aliquos fidos suorum certis in civitatibus post se relinquat, pro commodiori retrò transmissione literarum, tum quod in rem legationis serviverit, præstandum; ut illi sibi significent, quid iis in locis agatur; an securum transitum eadem quâ venit viâ retrò habere possit.

Ad aulam Principis veniens, subsistat alicubi in itinere, aut tardius de industria progrediatur, ut per præcursores interim (tum per literas) præmoneat eos (quibus id curæ) de suo adventu, locum subsistendi & omnia reliqua perquirendo, quasi

obiter,

obiter, ſed verè de induſtria. Per eoſdem emiſſarios obſervabit interim, quo animo & facie adventum ſuum exceptura eſt aula, ut in omnia ſit intentus, & reſpondendo paratus.

Legatus non vituperet gentis (in qua moratur) mores, neque laudet, neque (ut ignarus & leviuſculus) miretur, ſed diſſimulet.

Non tantùm ſua ſecreta ipſe arctiſſimè teneat, verùm ad eos attendat qui ſecum ſunt, ne prodant quod celatum vult.

Animadvertat, ut ſui omnia cum gravitate & ſobriè agant, attendendo ad eorum mores, ne tota gens incurrat in opprobrium paucorum causâ, rarius ideò converſentur cum extraneis, ne aliquid per levitatem efferant, quod legationem turbare poſſit.

Maxima cura ponenda in iis, qui ab epiſtolis aut à ſecretis ſunt, ne aliquid prodant, ideóque non ſunt exacerbandi, ſed potius modicos errores (velut neſcius incuriuſve) ad tempus diſſimulabis.

Si aliquid ſecreti percunctari velis alterius Principis, non è purpuratis, ſed potius ex minoribus Palatii aut cubiculi adminiſtris diſces, qui circa Principem morantur, ut ſunt Medici, ephebi, pigmæi, tum vel maximè Amanuenſes, quos tibi per munuſcula, partim comitate concilia-

veris. Nulli verò ſumptui hac in re parces, ſed tamen per alios potius tentaturus, quàm tu ipſe, quò familiarius & minori ſuſpicione prodendorum ſecretorum cum tuo colloquantur, quàm tecum; partim ſi tentatum emanet, alterius invidia periculum vites, quærant ergo tui de induſtria cum his familiaritatem, colloquendo, commeſſando, ludendo, tu verò ſumptum in eam rem ſuppeditabis.

Literas omnes quas recipis ſecretas, aut combure, aut ſi neceſſariæ ſint? in incognita ciſta & ſub tua clave reconde.

Sua non aliena manu legatus ſcribat res, à quibus regnorum ſalus dependet, ad evitandum errorem, ſed vel maximè pro ratione ſecreti.

Per diverſos tabellarios & vias eaſdem literas legati mittant, eas præſertim quibus ſumma rerum vertitur, ut ſi intereant aliæ, aliæ ad manus Principis deferantur, tum ad evitandum moræ periculum.

Opprobria in ſuum Principem aut gentem jactata, non recitabit literis, ne exaſperet Principem, verùm ſeria & publica tantum negotia ſcripto referet.

Alienas literas etiam rogatus ad Regem non mittet, niſi eas legerit, ne fortè diſplicitura Domino contineant.

Licet acerbam legationem ferat legatus, tamen vultu conſtanti & cum gravitate

aget,

aget, adeoque ſit conſtans, ut pro concreditis ſibi, vitam audeat ponere.

Contra munera ſit ipſe invictus, & ſui, ideóque cavendum, ne munuſcula accipiant.

Legatus acceptorum munerum Principem ſuum certiorem faciet, ad evitandam ſuſpicionis notam.

Non Principi ſuo, non alieno ſpondebit, quod exequi ſit in dubio, potius in omnibus promiſſis parcus ſit.

Nihil leviter aggrediatur, diſcutiat ſingula, cuique rei maximam diligentiam adhibiturus.

Non nimis calidè & cum affectu, neque nimis tepidè res tractet, ne intelligatur quod cupit, quod non?

Imò monſtrandum eſt te cupere quod non cupis, & non cupere quod cupis, quò citius aſſequaris cauſam, eludendo.

Gratum hæ virtutes legatum etiam barbaris reddent, inceſſus moderatus, geſtus decorus, frons læta, ridentes oculi, vultus ad temperatam hilaritatem compoſitus, oratio matura, & quæ virum ſuum loquatur.

Pro gentis ſuæ gloria, egregios ſecum trahat juvenes, raræ formæ, prudentiæ & roboris, & quæ rara ſunt, ad exteros ſecum portet legatus.

Brevitate ſermonis gaudeat, nam diſpli-

cet prolixitas, rectè ſacer Scriptor. ***In multiloquio non deerit peccatum.***

Nonnunquam pro ratione temporis (quod judicio legati committitur) præmoneantur Marſchalci ejus aulæ ad quam ventum eſt, quo cultu velit ſuſcipi legatus, pro dignitate ſui Principis, in primo acceſſu (ſeu *audientiâ* vulgò) tum in conviviis etiam, ubi loci prærogativam ſibi aſſeret, ſed ***tamen procul à moroſitate, ne in eo nimium ſit ſcrupuloſus, quod ſalva authoritate diſſimulari poteſt***, illud etiam præcaveat velut quidam in Hungariam nomine legati veniens, cùm ſciret eam gentem potione vini gaudere, ipſe verò à largioribus poculis planè abhorreret, tacitè præmonuit ad convivium veniens, ſe planè à potu vini abhorrere, neve ſibi vitio verteretur, ſi oblata pocula non evacuaturus eſſet, alia ratione ſuam propenſionem in eam gentem teſtaturus, ſufficere ſibi potum cereviſiæ, aut aquam modico vino dilutam, qua ratione convitia purpuratorum & offenſas vitavit.

Temperatum legatum & continentem velim. Turpe à vino, turpe à muliere vinci.

Ad mores gentis attendat legatus, & quoad fieri (ſalva ſua exiſtimatione) poteſt, ſe accommodet, fors enim inter hilariora pocula diſcet, quod nec ingenio, nec arte,

expi-

expiſcari poſſet; Plurima inter convivales hilaritudines elabuntur, quæ ſcire legatum deceat.

Munificus ſit & comis legatus.

Multa per uxores apud purpuratos præſtari poſſunt, ideò munificè habendæ.

Hiſtoriarum cognitio legato perneceſſaria, & ſtatus Politicus Provinciarum, præſertim ejus gentis in qua moratur.

Rarius prodeant in publicum legati.

Patria veſte utatur legatus, ad pompam decora, linguâ itidem ſuæ gentis loquatur, idque in publico, in privato verò, etiam peregrina per humanitatem loqui poterit.

Uxor non eſt circumducenda legato, imò non faciat eam arcanorum legationis conſciam.

Principum (ad quos mittitur legatus) ſeriò mores, vitam, virtutes, vitia, molitiones, fœdera, ſocietates, portus, claſſes, opes, quibus ad terrorem compelli, quibus accendi, quibus placari, quibus ad arma proſilire, quibus delectari & capi, quibus denique offendi conſueverint, qua parte fortiores, qua imbecilliores, quorum conſilio utantur, perſcrutetur.

Gentis etiàm univerſæ genium, conſtantiam perſpiciat, robora, opes privatas & publicas, an ſubditi obedientes ſuo Principi, an ad motus proniores, quibus ordinariis & extraordinariis ſubſidiis gau-

deant, armorum copia, victualium commoditates, regni propugnacula, Nobilitatis numerum & animos, togatorum eruditionem, pectus, qua quisque apud Principem suum authoritate sit, qua apud populum pernoscat.

Caveat ne Principis (apud quem moratur legatus) etiam aperta vitia damnet, tum mores, imò neque suum Principem ad invidiam exterorum nimis extollat & laudet, sed tamen sua non deprimat, imò modestè omnia ad opinionem magnitudigis enarrabit.

Probitatis & pietatis publica signa in legato laudantur, ut quotidie sacro intersit, publicè ad templum vehatur, Eleëmosynam publicè porrigat, ad opinionem non fucatæ virtutis.

Legatorum uxores, maritorum obtinent locum in congressu.

Multi errores legatorum, simulatione morbi dilui possunt.

Non rixosus sit legatus per sobrietatem (imò etsi quandoque vinolentia accesserit) ipse & sui, imò declinet occasiones, unde rixæ oriri possint, & maturè se à lætis congressibus subtrahat.

Modestus sit, nullius animo studiisve factiosè aut cavillosè reluctetur, quasi melior aut sapientior.

Fugiat eorum purpuratorum congressum,

ſum, quos aut rixoſos, aut leviuſculos, aut etiam faſtuoſos nimis eſſe credit, ſed tamen ne fugiſſe videatur.

Sit gratus excipienti Principi & populo, quod ab anteacta notitia, aut aliqua ratione parari poteſt, qui placere potuit, jam obtinere cepit.

Genium ſe excipientis obſervabit legatus, cæremonias, modumque actionis, in colloquiis & congreſſibus religioſè implebit, & omnia quæ primæ ſcenæ debentur.

Uti religionis ſuæ ſit tenax, ita peregrinam apertè non damnet, ſed quaſi diſſimulet, & quoad fieri ſalvâ conſcientiâ poteſt, etiam peregrinis cæremoniis ſacrorum indulgeat, quo maximè purpuratorum animi capiuntur, quod in ſuis etiam cavebit.

Titulos literarum & ſalutationis, rectè aptet perſonis, qua in re præmoneri velit à peritis ejus gentis, cautè tamen ne decipiatur.

Ut acceptior ſit, non ſolùm literas ad Principem commendatitias, ſed etiam ad Magnates & Miniſtros aulæ ſecum ferat, quos in adeunda aula devinctiores ſibi optat; Ad hæc coram quibus opportunum pro re nata videbitur, laudabit oretenus modicè ſui Principis munificentiam, & commoda proventura tacitè cuilibet inculcabit, in eamque rem nudas membra-

nas literarum à Principe accipiet, & copias ſuperſcriptionum aſſervabit, Principi (poſt regreſſum) recitaturus.

Nulli aduletur legatus, nec mentiatur, etiam leviuſculè.

Varia munuſcula ſibi legatus maturè procuret & ſecum ferat, pro ratione temporis & perſonarum dividenda, ad conciliandos animos eorum, quorum operâ opus habebit.

Omnes occaſiones loquendi & objectionum ante conſideret, ut cuique rei præmeditatus ſit reſpondendo.

Prælatos ejus loci ubi moratur & Religioſos, ſibi devinctos habeat, quod parabit publica devotione, familiari congreſſu & alloquio, viſitatione Monaſteriorum & Eleëmoſynâ, quod multum conferet (ab opinione virtutis) ad ſuas res ſtabiliendas.

Si aliqua vitia tibi inſint, per conſuetudinem, aut per naturam indita, quæ vitare non poſſis, cave ſaltem ne videaris, & ſemotis ſaltem arbitris turpis ſis, aut corrige potius.

Raucus aut balbus, rarius loquaris.

Nunquam deſcende in certamen alicujus luſus & diſputationis, ſi vincas, parva gloria, victo, ingens dedecus.

Nulli negotio interſit legatus, quod jacturam authoritatis præſentis adferre poſſit, aut à præcedentia cæterorum legatorum,

rum, aut omni alia ex causa.

Non immisceat se rebus, quas alium (quàm sperat) habituras effectum pernovit.

Pro nullo intercedat, neque objiciat suam authoritatem periculo repulsæ.

Lætante Principe aut dolente idem faciet, aut lugubria aget, aut in lætis triumphum, neque sumptui parcat quoad potest.

Quia legatus ejus personam Principis retinet à quo venit, dignitatem quoque in congressibus publicis aut admissionibus retinebit, memor tamen suæ privatæ personæ, ut comis sit.

Splendore omni incolas superare potest legatus, Principem tamen vincere nolit, à quo aut ad quem venit, ne arguere videatur, & pro amore invidiam paret.

Vestis & urbanitatis Patriæ tenax sit, tum maximè religionis, ut innotescat publicè, eum etiam privatim bonum esse, plus enim æstimabitur legatus, quasi omnia cum Deo agens.

Non velit videri facetus & dicax.

Omnem sinistram opinionem à se amoveat, laudabit modicè res exteras, & ejus gentis commodis se favere, imò in omni re amicum se esse præ se feret, in qua versatur.

Illos maximè considera, qui cum Principe conversantur, quibus virtutibus delectentur,

ctentur, iis etiam expugnandi, & per hos omnia efficies.

Satuat quoque Vespere horam unam legatus, quâ impositi sibi muneris partes seriò scrutetur, & anteacta diei, an posteriori die in melius quid fieri possit, quid detrimenti, quidve commodi causæ suæ accesserit? postea ad Deum elevet mentem cum prece, ut ejus muneris successum secundet.

Pacta & pollicita sua ita formabit, ne subsit captio, suis rebus periculosa, ideò dicta scriptaque (imò verborum etiam æquivocationes) scrupulosius perpendat, nec sibi soli per omnia fidat, sed fidelioribus etiam tum judiciosis eam curam communicaturus, plures enim oculi plura vident.

Si alicui muneri ob imbecillitatem non sufficit legatus, multa vitabit simulando aut dissimulando; dicta velut non audiet, facta velut non videbit.

Ne nimium fidat multis pollicitationibus, potius diffidat.

Tace, tace, nulli consilium aut secretum narra, anne existimas alium tibi magis fidum fore, quàm fueris ipse tibi?

Si aliquem tuæ gentis transfugam apud hostem repereris, diffidentiam ipsi paries, velut Scipio Romanorum legatus Annibali apud Antiochum reperto, quo cum ille

ille plurima velut ſecreta præſente Antiocho in aurem locutus, ut ſuſpectum redderet Antiocho.

Poterit legatus (verùm præmonito ſuo Principe) miſcere ſe negotio etiam ſibi non commiſſo, ſi præſente legatione ſua repererit aliqua in ſuam gentem agitari, legatus enim nihil aliud eſt, quàm cuſtos & cauſa bonæ rei, quæ ab externo in ſuam gentem derivari poteſt.

Legati dum veniunt in aulam, neminem prius viſitent quàm Regem, per ſuos tamen ſecretarios, quos ſibi devinciendos credent, eos viſitabunt.

Illicitum ſit legatis hærere in legatione diutius, quàm quantum admittenti placuerit.

Nonnunquam quæ in conviviis dicuntur, decuplo majora judicabuntur quaſi extemporanea, quàm quæ cum præmeditata authoritate dicta ſunt, ideo aliquando adſit lætis congreſſibus, ſed tempeſtivè ſe domum recipiat, nec effuſus ſit in jocos & nimium luſum.

Legati non infrequenter ſpeculatores ſibi adſciſcunt, ſic inter aſſeclas legati, latent perſonati homines, architecturæ militaris peritiſſimi, qui fortalitia perluſtrent debiliores partes obſervaturi.

Fidis ſibi coriceis, non munificus ſolum erit legatus, ſed planè prodigalis.

Videat

Videat legatus, ut potius vix nosse videatur eos externæ curiæ ministros, à quibus haurit secreta, & per quos res tentat, quàm ut familiaris illis sit, hinc fidi comites, criptici codicilli, nocturni & ignoti, mutato nomine & amictu.

Quod si de illis edoceatur legatus veniens, quæ magis regressum quàm accessum suadeant, morabitur si tutè poterit aliquo in loco, antequam præmoneat de iis suum Principem.

In primo accessu eam orationem formet ad Principem, quæ sibi suisque rebus æstimationem pariat, rationibus verò potius decoris utetur in persuadendo, quàm superbis, vitabit adulationes & submissas preces, etiamsi aliquid petiturus; verùm omnia modestè aget in modum honestæ suasionis, imploret nec tamen ploret, ut suasisse non tamen rogasse videatur, vitabit etiam convitiandi studium.

Contentione inter legatos de loco nata, asserere debet animosè legatus dignitatem sui Principis, aut congressum talem fugiat, quod si absentia commodè excusari non possit, ægritudinem saltem simulabit; magis enim apud Principes valet authoritas, quàm quæque alia res; ut Mendosa Hispaniæ Regis legatus, cum Regis Galliæ legatum proximum Pontifici locum occupare vidit; ex adverso Pontificis in medio

medio Consistorii consedit, quod erat instar Majestatis, in quo omnimodè nitendum, ut priorem locum occupet aut teneat legatus.

Qui vitare volunt legatorum de loco controversias, sessiones & mensas in modum orbis formant, ubi superioritas notari non potest.

Quod si acciderit ut Princeps legati oratione offendatur, non protinus legatus contemptim abscedat, sed modestæ gravitatis (tum rationum) scuto eum excipiat potius quàm relinquat, ne perpetua consideratione crucietur & magis excandescat. Id etiam in privatis offensis & civilibus observandum.

Cavebit ne rumores novos nisi re explorata ad suum Principem transmittat, & potius suaserim taceat, quàm ut in errorem incurrat nuntiando.

Advertat legatus ne suus tabellarius aliorum literas ferendas suscipiat quàm suas, multa ex causa, imò si sui domestici mittunt literas in Patriam, legat eas, ne aliquid per importunitatem deferant, quod res turbare possit, ideò tabellariorum Præfectos (quos *Cursores* aut *Postas* vocant) observet, ne aliorum literas, nisi suo jussu suoque fasciculo inclusas suscipiant.

Relinquat aliquem fidorum amicorum penes Principem abeundo, qui se absente neces-

necessaria legationis urgeat, quò citius sine dilatione expediantur, suamque authoritatem per absentiam tuendo, omnia fideliter nuntiet.

Missarum literarum exemplaria penes legatos maneant; Nam si intercipiantur missæ, rursus describi poterunt ex exemplari, nec in contrarietatem stylus deducetur, ideoque libro alicui literas omnes inserere oportuerit, imò quoddam archivum legationis sibi formet, omnia scripta & rescripta in Cathalogum referendo, seriem, temporum, locorum, personarum, ex qua generali penu literarum, postmodum relatio legationis commodissimè conficietur.

Legatus ad suspectum Principem missus ad eludendum armorum tempus, si statim ab illo Principe expediatur, non recedat, verùm varias moræ occasiones obtendat, formaturus interea (licet in vanam speciem) rationes componendæ pacis, studio protrahendo, dubitando, ac demum pro informatione ad suum Principem mittet, iterum iterumque non recedendo ab eodem Principe, verùm ejus conatus, consilia, fœdera perspiciendo, dissuadendo, distrahendo; ut interea sui provideant sibi de viribus, quod etiam simulatione morbi facilè præstatur. Nam verè præsente se (velut adhibito censore) non

tam

tam properè hostilitas expedietur, quàm si abeat legatus, tempus & occasiones, adversa (contra suos) moliendi sponte concessurus.

Res magni momenti duplicatis literis perscribat, & diverso itinere mittat, tum ut melius inculcentur, utve amissis aliis literis, aliæ perveniant.

Postquam venerit ad aulam externi Principis legatus, quanto citiùs poterit approperabit audientiam, antequam familiaris esse cæperit aulicis, & quam diu adhuc retinet ignotæ faciei, morum & authoritatis opinionem.

Ad tractatus pacis missi legati seu commissarii, plenipotentiam (ut vocant) legationis commissariorum alterius partis requirant prius, antequam rem aggrediantur, imò eam sibi describi petant; quam considerent an ad fucum tantùm, aut re vera ab altera parte tractatus ineantur, tum tituli & sensus rei discutiatur.

Cùm quidam legatus præsentiret se sine occursu exceptum iri, ipseque non magnificè comitatus adveniret, iter maturavit, & noctu insperatè pervenit.

Non adventantis modò legati requiro curiosam (quorum interest) salutationem, sed abeuntis etiam valedictionem peto, ne alias offensi purpurati, quantum boni suæ genti præsens paraverit, illud per absen-

absentiam corrumpant. Valedicet ergo potioribus personis ipse, reliquis verò (simulato impedimento maturioris abitionis) per potiores suorum, imò requiret (comparato ad id libello) ut quisque suum nomen suaque manu, in memoriam amicitiæ & reciprocationem literariam sibi inscribat, imò stemmata sua depingi curet; Non oberit sibi suæque genti, ea illustrium virorum notitia, cum quibus audacius aut fidelius data occasione per literas quodlibet agere poterit legatus, habito inscripti nominis & stemmatis quasi pignore & prætextu.

Verùm illud in agenda legatione magni moniti loco sit, quod à nostris legatis in Castris Turcarum ad Chotinum (Anno Christi 1621) circa tractatus pacis factum comperio. Cum enim à Cancellario Turcarum Principis, seu (ut illi vocant) *Veserio*, superbas conditiones pacis pro innato gentis fastu ferente, legatorum animi ingenioso commento tentarentur, in expiscationem, lubentiusne pacem quàm bellum mallent? ac fortè idem *Veserius* subjungeret; Nisi eas conditiones acceptarent legati, omnes tractatus pacis rescindi, aut si vellent statim ad suos abire, continuaturis arma, libenter concedi; in oculos vultumque legatorum intentus, quo animo eam rescissionem pactorum acceptarent, exinde

exinde argumentum capturus, poſſe tædio belli à Polonis aliquid extorqueri; verùm graves legati diſſimulandi peritiſſimi, vultu in omnem conſtantiam formato, animoſè rejectis conditionibus, veluti ſine mora lubentes abituri, dextram *Veſerio* valedicturi porrexere. *Fortunam belli adhuc in æquo eſſe, ſcripturum tandem enſem victorem, pacem ſanguine, ſed quæ victis non admodum jucunda foret, neque deſperare ſe, quoniam à ſuis partibus juſtitia cauſæ ſtaret, etiam affuturam Dei maximi bellorum rectoris opem,* ſubjungentes. Quam invicti animi conſtantiam videns *Veſerius*, benignè legatos manu prehendens, in ſecretiorem tentoriorum ſeceſſum, deinde ad ipſum præſentem (in caſtris) Imperatorem abducens, vultum & verba, tum ipſas pacis conditiones ad molliora flexit, ut ferè potior pars pactorum, Polonorum aptaretur commodo, licèt Turcarum Princeps aut faſtu, aut revera (quod proximè crediderim, nam totis viribus Europeorum, Aſiaticis item & Africanis prout ſibi ſubſunt, ad debellandam Europam properaverat) quatuor centena militum millia * in caſtris numeraret, cum noſter exercitus ne decima hujus parte ſibi conſtaret.

**Septies centum millia Turcæ numerabant, & noſtri*

Si tuæ res ſucceſſu armorum valentiores ſint, proderit legatos adverſæ partis paciſcitum venientes aſperiori fronte & verbis

qui bello interfuere, concordant, sed verè cum calonibus & lixis crediderim.

verbis animosè tractare, præsertim si quod in rem tuam sit, acceptare nolint paciscendo, tales enim plerumque legati animosa sibi responsa fingunt, licèt cum omnimoda facultate concludendi veniant, & quoad possunt, tentant veriùs, quàm ut sperent aliquid ex optato pro se obtinendum, nisi forsan apud incautos mollior pactio succedat. Sic *Gonsieskius Palatinus Smolenscensis* bello Moschovitico nomine Vladislai IV. Regis ad paciscendum Commissarius, cùm videret Moschos (quorum bello deterior res erat) ficta ut solitum in ea gente animositate, pleraque pro se causantes, primo asperioribus verbis eos corripuit; cùm verò non satis proficeret dictis, apprehenso gladii manubrio, *Nisi venerarer jura gentium* (subjunxit) *in legatis honorandis, hic gladius vos homines fastuosos doceret, Regis Poloni reverendum esse nomen, & noscendam favente Deo, tum armorum justitiâ, fortunam.* His flexit ad faciliora temeritatem Commissariorum, nam verè cum plenaria facultate venerant. Si verò illi incidissent in aliquem molliorem, minus providum & animosum, tum importunè discretiorem, quàm erat *Gonsieskius*, multa quæ sui erant voti, à nostris obtinuissent.

Quæ

Quæ conſideranda circa receptionem legatorum.

HOſtium legati munificè habendi (imò magnificè) procul tamen ab obſequio, ne aut oſtentationem, aut timorem ſuſpicentur, potius habeantur propius magnanimitatem.

Uti legati breviter loqui debent, ſic illis breviter nomine Principis reſpondeatur, & ſine affectu, quo major parabitur authoritas.

Non permittenda legato curioſior Regni inſpectio.

Quæ reſponſa data legatis vel graves controverſias periculosè finire, vel bella excitare poſſent, non ſunt ſtatim danda, verùm trahantur, legatos interim detinendo, ac *per ſuos internuncios deferri potius curabuntur.*

Per Marſchalcos aulæ præmonebit tacitè legatos Princeps, quos titulos ſibi dari velit.

Hoſtium legati cum armatorum & optimorum militum manu excipiendi, & potius ſub tentorio, quàm in civitate.

Hoſtium legatis obviam eatur, uſque ad fines cum armatis militibus, ut ſub cuſtodia veluti habeantur, neque Regiones ſpecu-

ſpeculentur, imò ne à noſtris conveniantur & colloquium habeant, ne literas privatim mittant aut recipiant.

Extra caſtra colloquium concedendum legatis hoſticis, niſi tuæ potentiæ nimium fidas, ut oſtentare poſſis, quod præſtat.

Legati minores hoſtici, obligatis oculis in caſtra recipiantur, imò reverſuri, extra caſtra ſimili modo educantur.

Divitiæ non modò non aperiendæ, ſed celandæ potius coram hoſtium legatis, nam incendunt mentem hoſtium in rapinam; ſola potentia armorum oſtentanda, item haſtiludia, militares exercitationes, & alia.

Interdum etiam hoſtium legati excluduntur penitus, ne potius ſint ſpeculatores.

Præſentibus hoſtium legatis, aliquid tibi læti (ex condicto) fac nuntiari, vel de novo fœdere aliquo, vel de aliqua aliunde victoria.

Cautè admitte legatum, ne ſpeculetur caſtra, neve res trahatur legatione.

Cuſtodes legato cuique (ſed præſertim hoſtili) dandi, viri animi generoſi, fortes, prudentes, militares, ſimulandi & diſſimulandi periti, qui minima dicta factave legatorum obſervent, amovendi verò à colloquio eorum viri loquaces, leviculi, effœminati, & qui neſciunt momentis ſervire in rem ſuæ Reipublicæ.

Ho-

Hostium legatis aliquando adimuntur arma, ne insidientur inter colloquendum Principi, vel in speciem hostilitatis.

Quidam ne legatis obviam mitterent, in venationem vel propter pietatis negotium aliquo alio ab aula processerunt.

Si necesse sit visitari legatos, visitentur à viris illustribus & prudentibus, qui discursu & animo magno, admirationem suæ gentis legato insinuent.

Hostium legati reducantur à viris armatis usque ad fines, & circa civitates munitiores ducantur, locaque regionis potiora, pro paranda opinionis pompa.

Si contigerit deliquisse externum legatum, remittitur interdum cum causa ad eum qui misit; verùm qui deliquerit jussu sui Principis, si sub specie legationis tumultus excitaverit, incendia, cædem intentarit, carceri certè intrudendus, aut honestè retinendus, milite ejus domus cingenda, antequam de voluntate sui Principis innotescat; Quemadmodum enim offendi legatus non debet, offendere etiam non potest, si verò velit offendere, munus suum amittit, desinit esse legatus, qui proditor esse incipit.

Sed tamen etsi deliquerit legatus contra jura gentium & pœnam mereatur, videndum an potiùs valeat amicitia ejus Principis aut populi à quo venit, an supplicium

legati, imò quaſi neſcienda nonnulla in legato delicta, aut non videnda, ſi aut minora ſint, aut puniri non poſſint, niſi citra periculum & offenſam gentis.

In deliquentem legatum (contra jura gentium) & puniendum, judicium Regni maximum formari debet.

Si verò quis ex comitatu legati deliquerit, perquirendum, utrum ſcitu legati factum, & an ipſe judicare illum velit, ſi non? aſſumendi aliqui è familiarioribus legati, & noſtris intermiſti eum judicent.

Legati qui non impetratâ veniâ tranſitus (præſertim ſuſpectæ gentis) in aliã terram per noſtram tranſeunt, remorari poſſunt.

Accidit aliquando, ut legatus aditu prohibeatur, quod ſi tamen injuſſus acceſſerit, volunt nonnulli ut Majeſtatis & Imperatorum perturbatorem eum captivari.

De Contractibus tempore legationis initis, judicium tenetur accipere legatus ejus loci, cui ſe per contractum obnoxium fecit.

Solet aliquando domus legatorum pro aſylo delinquentium cenſeri, ſed tamen legatus præmonendus, ne ſit ejus domus patrocinium ſcelerum, non eum veniſſe ad impediendam juriſdictionem loci, ſed ad firmanda pacta & amicitias, non in locorum ſanctitate, ſed in ſua cuique innocentia præſidium eſſe, ſanctiorem eſſe juſtitiam, omni domo legatorum.

Per-

Permiſſum legatis, ut domi ſuæ juxta ſuæ gentis ritum ſacra exerceant.

Cum fictè & fraudulenter legati hoſtiles ſæpè veniant, faciet is qui aditur, ut citò & quamprimum auditi expediantur, adjunctis qui per ſpeciem ſecuritatis eos deducant, interim cenſores ſint, ut dolus & omnis machinatio arceatur.

Nonnunquam dum veniunt legati, noſtræ verò res imparatæ ſunt, in itinere aliquo honeſto prætextu (vel requietis cauſâ) retinendi.

Mittuntur legati ſæpe cum ſpe pacis, ut incautius hoſtes opprimantur aut diſtrahantur, ideò non facilè (ſi ad te veniant) credendum.

Stando potius legati audiendi, ut neceſſitatem ſtandi Princeps ingerat, ne ſi conſederit, legatus quoque ſedere cogatur.

Princeps qui præſentit legatum, acerba ſibi mandata laturum, aut omnino eum non admittat, aut præmoneat ut mollius agat, ne ſibi itidem ſit neceſſitas, acerbius reſpondendi & agendi.

Dum audiuntur hoſtium legati, non ſuaſerim ut omnes audiant, ne ſi minas aut aliquid tale ferant, circumfuſa multitudo terreatur & metuat, vel ſi publicè audiuntur, rumor de induſtria aut murmur per ſubſtitutos in eam rem excitandus, ne ab omnibus oratio audiatur; idem ſentien-

dum de reſponſis quæ per legatos noſtros ab hoſte feruntur.

Reſponſa ambigua danda potius ſi rec ſuaſerit, quæ vulgus ſcrutetur magis ac divinet, quàm intelligat.

Si aliquis nobiſcum confœderari velit, cujus fœdus minus ſit nobis utile, aperta verò ſit offenſa ſi negemus? proponantur fœderis conditiones tum duræ (& noſtro tantùm commodo ſervientes) quibus ille terreatur & ſponte recèdat à fœdere.

Miles, plebs, & ipſa juventus armis exerceatur, pro apparatu belli, præſentibus hoſtium legatis (ne tamen ad oſtentationem ea feciſſe videare) ſtrepant armorum officinæ circa reparationem armorum, armamentaria inſtaurentur; de bello, commeatu, armis, ſubſidiis ſociorum paſſim ſermo ſit, machinæ murales explodantur, equi bellici traducantur, & cætera quæ in belli & potentiæ pompam ſerviunt, ſtudioſius fiant pro opinione virium.

Legatus à ſuſpecta gente veniens (unde verendum ne ſub prætextu legationis inter tuos auxiliares ſocios, aut etiam incolas, aliquas factiones moliatur, & res turbet diſtrahendo) maturè erit in ingreſſu Provinciæ præmonendus, ne conferat cum quoquam tuorum, tam per ſe quàm per ſubſtituta inſtrumenta, alias ſpeculatoris & turbatoris non legati loco habendum,

dum, in eamque rem fidi coricei ejus lateri per ſpeciem honoris admovebuntur, qui ad res ipſius & ſuorum attendant, cautè tamen & ab alio prætextu, ne alias diffidere tuis videaris, quod æquè nocivum eſt; Satius igitur, ſuſpectos legatos præſtabit *remotius à loco reſidentiæ* detineri, nec admittere coram, ſed *per deputatos* cum iis tractandum erit.

Penes titulum legationis, quæri poteſt, de Loco aut ipſius Regis, aut Polonæ gentis legatorum.

SEntentia aliquorum fert, loca Regibus & ordinem dari ſecundum tempora quibus aut gens aut Princeps aliquis ad Eccleſiam acceſſit, ut alii habeantur novitii, & ideò poſteriores ordine, reliqui veterani, ac propterea loco priores Chriſtiani. Si ex eo gens Polona locum & ordinem inter Principes quærat, non antiqua tempora Miecislai (primi Principis è Polona gente) traham in argumentum nobilioris loci, verùm quoniam bonæ Matri Eccleſiæ humilius ſubjici triumphare eſt, ſolam nobis ex eo obſequii gloriam quærimus.

Sed quoniam locum pro authoritate petere, propius Politiam eſt quàm Religionem, ideò verius illi dicere videntur,

qui à Politicorum ratione, quo quæque gens tempore titulum Regis ſortita eſt, priorem quoque locum in ordine aſſignant genti. Neque tamen illud probo. Certè Hieroſolymorum Reges, ab antiquitate Judeæ, præcederent potentiſſimo Occidentalium Principi, videmus verò eoſdem remotiori ordine & loco, poſt alios Reges poni. Quæſo adhæc dari populum, qui ullo ſub Regis vivens nomine, ſed Ariſtocratici ſtatus ac ſolius Reipublicæ retinens nomen pro authoritate ſui ordinis laboraret? jamne poſt omnes Reges aut Principes retrò iret? omnino non ita eſt. Romana Reſpublica nunquam externis ceſſit Regibus Majeſtate, Novitiis antiquitatem ſuam objecit, antiquioribus potentiam (uti hæc ſola, ſummam in orbe paravit ſibi authoritatem) & cùm Græca gens longa Romanos ſuperaret nec ignobili antiquitate, nuſquam tamen Romani imperii potentiâ, Græcis primas conceſſit.

Dixerim omnino, ſolam eſſe Regum atque populorum potentiam, uti æſtimationis ac Majeſtatis, ſic nobilioris inter Principes loci argumentum; Juſtam tamen eam dixerim potentiam, non quæ flagitiis ad tempus, aut tyrannide paratur, non quam orbis ſuſpexit aut timuit in Attila, aut ſi qui latronum fuêre tales. Nec longè

à re

à re mea abest illud Græculi dictum, qui de Spartæ finibus litiganti cuidam, apprehenso gladii capulo respondit. Qui hujus esset Dominus, eum optimè de finibus disputare; Verè item arbitrium Majestatis penes eum est, qui magnis imperat populis & arma tenet.

Theodoro magno Moschorum Duci sui purpurati suaserant, petendum à Pontifice Romano Regis titulum (uti ambiverat) postquam verò subaudivit, Regem Sueciæ (cum quo illi pro vicinia interest æmulatio) uti antiquitate Regii tituli, etiam loco se antecessurum, respuit nomen Regis, adjecto non ab ignobili animo dicterio, *se tanti Septentrionis Dominum, non opus habere altiori titulo, cùm haberet tres myriades equitum, duas peditum, quorum operâ non æquari modò Suecorum Regi, sed Cæsaribus Romanis de Majestate audax poneret quæstionem*. Si item nullam Reges agnoscunt superiorem quàm Dei Majestatem, cujus decretis aut institutis pareant, aut quod in orbe judicat suprema armorum potentia, verè qui valet armis, optimè de authoritate disputat, facit sibi locum & authoritatem habet. Quæso cedat loco potentissimus Turcarum Princeps (vel sublata imperii Orientalis antiquitate & prætextu) Regi Bohemorum, ex eo quod ultra centum annos Principes Bohemorum Regis obtinuêre

nomen, antequam Ottomanica domus, in Europam Orientalem transtulit sedes & sceptra; certè Turca non petiturus, sed facturus sibi pro potentia locum. Non inficior quidem conferre ad decus purpuræ, cùm inveteratam ab antiquo trahit secum Majestatem, potior tamen Majestatis ratio penes potentiam, verùm si quis utrumque obtineat, illum per omnia maximum Principem putabo.

Jam qui Polonorum Reges quarto aut quinto post Imperatorem Romanorum loco ponunt, falluntur; aut enim extra ordinem Occidentalium Principum ponendi, prout nusquam paruere Romanorum potentiæ, neque nunc ad ejus purpuræ pertinent cultum & Majestatis ordinem, aut pro Reipublicæ authoritate & populorum potentia (quod verissimum argumentum Majestatis) haud inferiori cum primis loco habebuntur.

Sed tamen invidus censor, arguet summi loci Polonorum sceptra, cùm Otto III. Imperator Romanorum Boleslaum Chrabri (Poloniæ Principem) Regem appellarit; si Historiæ revolvantur, nunquam legetur eundem Boleslaum, petiisse ab Ottone tertio Regis titulum, neque titulo eguisse qui magni populi esset Princeps, sed verius dicendum, Ottonem tertium cultu & voto visendi sepulchri Divi

Divi Adalberti in Poloniam venientem (prout Historicorum in eo concors docet sententia) admiratum fuisse Boleslai potentiam & Majestatem, neque Regnum illi dedisse aut Regem fecisse, sed (quo maximo apud se credebat titulo) tantum Principem per humanitatem, inter salutandum more Occidentaliorum Dominorum appellasse Regem, quo titulo (non quod ad Principatus Majestatem opus haberet) uti cæpit Boleslaus, sed novitius cum sua gente Christianus, veluti Christianam fidem ab Occidente per Patrem nuper acceperat, sic facilè in mores Occidentalium Christianorum migravit, atque credidit, quemque Christianum Principem, Regem debere vocari, etsi dudum ante in majoribus suis esset Dominus, maximo cuique Regi par Majestate; ut satis in eo dictum sit, (quod abeat non in modicam Polonæ gentis authoritatem) nunquam fuisse Polonos alterius Principis Vasallos. Scio verò Angliæ, Hungariæ, Arragoniæ, Neapolis, Sardiniæ, Hierosolymorum, Siciliæ, Hiberniæ, Portugalliæ Reges Vasallos fuisse * Pontificum Romanorum, vel ut altius repetam, Gallos, Hispanos, Germanos paruisse Romanis Imperatoribus, Poloni suâ semper stetêre potentiâ, & nunc tenent illibatam Majestatem, neque agnoscunt ordinem.

*Bodinus lib. Imo Solit. Cap. IX

III.
QUOMODO VIVENDUM penes PRINCIPEM?

Cum gratiâ polles apud Principem, cæteros ne contemne, memor futurorum, potius ſi prudens es, ea occaſione parabis tibi amicos, & certabis humanitate.

Cavendum primariis in regno viris ac vel maximè clienti, ne velit comitatu & favore nimio populi invidiam Regis ſibi parare, modeſtius ideò hæc habebis.

Diligentia obſequiorum & ſedulitate (adhibitâ modeſtiâ) gratia Principis paratur, curabis tamen, ut in aliqua re ardua, rectum conſilium opportunè ſcripto porrigas Principi, imò ipſam operam præſtes, quo innoteſcas; Virtus ignota ſepulta jacet.

Non ſis nimis jocabundus in præſentia Principis, neque conſiderativè Melancholicus, illud ſuſpicionem arrogantiæ, hoc parit acerbæ cenſuræ.

Acceptam à Principe injuriam ignoret

ret & quaſi non intelligat aulicus, ſi tamen gravis illa ſit, cum modeſto dolore & ſubmiſſione (pro ingenuitate tamen) eam excipiet, ne ſervilis ingenii & abjecti præ ſe ferat ſpeciem.

Principis tui ingenium & mores cognoſcas, bello pacive aut venationi, aut ſtudiis accommodatus ſit, quo te illi conformes; verè dictum: *Plus in amicitia valere ſimilitudinem morum, quàm affinitatem.*

In abſentia, talia de Principe loquere, quæ ambiguitatem etiam apud invidioſum delatorem non moveant.

In re vitioſa ne juva Principem, ſed abitionis modicæ prætextum ab aula quære.

Nunquam in affectum ſui Principis peccandum.

Non perpetuò adſis Principi, neque diu abſis, hoc oblivionem, illud parit tædium.

Sæpius verſeris ante oculos Principis, neſcis enim occaſionem, quæ obventura eſt in obſequium & aucupandam Principis gratiam, quàm occulta quadam ſorte, aut unico momento amittas, aut unica occaſione tibi pares.

Magna potius pete à Principe rarius, quàm modica ſæpe, quod multum faſtiſtidii, minus verò præmii tibi adferet.

Ne velis nimis glorioſus apparere coram

ram Principe ſeu toga ſeu ſago, ſed famam tuorum factorum ad illum defer, & ſine nota blandimenti, quod æquè offendit.

Dona Principis licet tenuia pro magnis habe, quia à magna manu venerunt.

Specie obſequii reguntur ſæpe Principes, tum amici, imò etiam ſuſpecti adverſarii.

Verborum parcus ſis coram Principe, & à deferendis importunè rumoribus cave, ad quem vel maximè lapidem aulicorum garrulitas illiditur.

Si princeps aliquid tibi ſeveri aut injuſti exequendum committat, reſponde quaſi facturus, nec tamen ſtatim exequere, objice impedimentum, tum affectu tepeſcente, diſſuadebis modeſtè, circa læſionem conſcientiæ & offenſam Dei, quorum maximus reſpectus.

Nunquam exaſperandus Princeps in alium, præſertim in uxorem & liberos, aut ſibi quovis modo conjunctos; ſubſequente enim reconciliatione, tu patieris, velut victima novæ reconciliationi immolandus.

Dum animadvertis offenſam Principis, maturè occaſiones honeſtas quære diſcedendi ab aula, ſi ea gravis & juſta ſit offenſa, ſi verò ex delatione æmuli & Principis affectu? non abſcede à præſentia, donec diluas & humilis depreceris: Nam ſæpè per-

pernoctatio majus adfert odium. Potius feras præsens (cum modestia humili) Principis aspera verba (ut satisfiat ejus affectui) nam ille tepescet amisso fervore.

Qui plurimum apud Principes possunt (illi verò sæpe ex minoribus sunt, cum quibus secretius sine scrupulo conversantur Principes) eorum tibi affectum comitate & per munuscula devincias, ita tamen, ne offendas æmulos, utrosque potius cole.

Amant plerumque amici non videri, imò Princeps, permittes ideò consulto secessum (licet sis intimus) & secretum non curiosus rimare.

Etsi sis valens gratiâ Principis habeas tamen aliquem penes, qui tui gratam memoriam in absentia non intermittat (imò etsi præsens sis) qui ex occasione bona Principi narret, tuarum partium fautor.

A Regio apparatu in veste, mensa, satellitio, gestu etiam, aut quavis alia re abstine, ut evites Principis invidiam ex æmulatione, omnem ideò ostentationem fuge.

Delige cultum Principis, Principi gratum, an submissè? an cum modesta gravitate secum agi velit? observaturus, an etiam liberius?

Neminem in præsentia Principis damna, sed cuique meritam laudem tribue, ne injurius sis virtutis detractor.

Dolente Principe aut amico, dolorem, & lætante lætitiam ſimulabis.

Conſilia da Principi, ſed ita ne docere videaris, ne monere, ne ſupra Principem ſapere, neque ut à te inventa ſed ab alio calamo & ore accepta propone. Suadentem Principes audiunt, cogentem repellunt, orari, non cogi volunt, ſuaderi, non ratione vinci.

Etſi Principi intimè familiaris ſis, nunquam cultum ejus obliviſcaris, licèt aliquando privatim honorari nolint, neſcis enim quando ſuccreſcet offenſa.

Etſi miniſter ſit ſummæ dexteritatis agendarum ad Principis mentem rerum, valeat tamen ad poſſidendam diu Principis gratiam ut à quibuſdam obſequiis honeſto prætextu ſe nonnihil ſubtrahat, imò modeſtè in partem ſe declinet (procul tamen ſubterfugientis à ſpecie) partim ut majus deſiderium promptitudinis ſuæ ingeratur Principi, præſertim ſi ille in alios minus idoneos miniſtros incurrat, partim ne aliquando eveniat (uti ſæpius fortuna pro libidine ſua magis quàm ex vero res agitat, nec optimis conſiliis tum mediis aut conatibus ſucceſſus reſpondere ſemper amat) ut quod malâ fortunâ factum eſt, ad negligentiam miniſtri referatur, unde opinionem prompti ſervitii & ſedulitatis apud Principem miniſter amittat, ſimul & gra-

gratiam quam habuit, in poſterum amiſſurus.

Beneficia collata in Principem, non divulga.

Secreta Principum non perquire, tum ab aliis quàm ab ipſo Principe.

Cum Principe inconſtanti & oblivioſo, ſcriptis age.

Vis ſub improbo Principe (id eſt Tyranno) vitam ſecuram? ejus te familiaritati & præſentiæ celer exime, quorum conſuetudinem ſpectatiſſimus quiſque flammarum naturæ rectè comparat, quæ ſicut paululum à ſe remota illuminant, ita ſatis admota comburunt; Vitabis ergo nocituram potentiam, hoc primum cautus, ne vitare videaris.

Cum Princeps palam loquitur, intenti ſimus nec triſtes aut meditabundi appareamus, ne vel improbare, vel auditu facili tranſire dicta ejus videamur: Amat enim quiſque audiri & probari ea, quæ palam profert.

Sic è contrario, quod tacitè loquitur Princeps, in illud aurem non intendas curioſus, imò ſedulò & prudenter in partem te declinabis, ſunt enim quædam apud Principem, quæ audiri nolit.

Si annuit petitioni noſtræ Princeps, oſtendamus ſedulò, magni nos id beneficii loco habere, ſi renuit? danda maximè

opera,

opera, ne offenſos nos exiſtimet ; magis enim ille offendetur.

Natura Principum eſt, ut plus iis tribuant, qui majoribus pollent opibus ; & neſcio an non timor quidam ſit, aut potentiæ exiſtimatio, aut quia tanto clarius donum ſuum Princeps putat, quanto in illuſtriorem illud contulit ; Atque adeo, qui aliquid petit à Principe (aut à quocunque alio potentiori) egeſtatem & miſeriam ſuam, illi proponere non debet, potius generoſa ſit poſtulatio, quam abjecta & ſubmiſſa petitio, (præſertim inter compares) *nullum namque efficacius medium ad habendum, quàm ſi ipſe habeas.*

Cum aut ſuaſione aut gratiâ pollemus apud Principem, non ambitiosè eam oſtentemus, quaſi Principem noſtris imperiis obnoxium habeamus. Principes enim quidquid agunt, circa ullius adminiculum & authoritatem actum videri volunt.

Difficultates quas in commiſſo negotio tibi occurſuras putas, antequam exequendum ſuſcipias, explanari tibi velis à Principe, & feriò memoriali annotes.

Cùm de bello ſuſcipiendo vel diſſuendo fœdere, vel aliqua gravi agitur materia, miniſtri partes ſunt, argumenta in utramque partem adferre ſolùm, relicto quolibet eligendi Principis arbitrio, ne ſi ſtudio-

diosius pro una parte directè contenderit, secusve cadat, malè consultorum arguatur, & odium Principis ac vel maximè æmulorum incurrat.

Non quære Principis intimam amicitiam, verùm potius, ut ab illo æstimeris.

Majorem Principis gratiam demetunt qui generosè obsecundant, quàm qui serviliter applaudunt, ut hi quidem abjectè humiles, propius sint confidentiam intimiorem, illi verò considerationem & respectum. Præstat verò æstimari à Principe quàm amari, imò hoc clientum, illud esse magnorum in Republica civium, tu si habeas utrumque, Jove propitio natum te dixerim.

Si quis per absentiam in Principem liberius insurgat verbis, etiam ex justo conquerendo, subtice tamen, & te ab eo colloquio subtrahe, memor, damnatores hosce, non tam sensus suos aperire, quàm scrutari tuos.

Ne glorieris gratiâ Principis quod in odium sæpe cadit, imò modicè tuam potentiam extenuabis.

Cave ne sæpius intercedas aut petas pro aliquo apud Principem, ne amittas authoritatem & importunus videaris, suo commodo magis quàm Principis obsequio studens.

Opportuna hora Principem adi, ne interrumpas secretum. Fer-

Ferrum dum candet ſtatim cudendum eſſe, non ex vano dictum, Principis etiam gratiam non ex difficili in ſuas partes trahunt, qui ejus affectu pro tempore & occaſione uti norunt, non differendo in tempus.

Non omittam etiam dicere cauſam, quare fit, ut qui maximâ Principis gratiâ pollent, proximius ſint, ut gravius odium poſthac experiantur. Placet aliis cauſa, cùm Princeps tantum honorum & præmiorum dederit, quorum ſatietas miniſtrum capiat; ut nec miniſter habeat amplius quod cupiat à Principe, nec Princeps habeat quod dct ſupra, ideóque *nec attollere poſſit* amplius *ſpem miniſtri*, (cum major ſit in obſequio promptitudo ex habendis, quàm ex ante poſſeſſis.) Verùm altior ſubeſt cauſa, cum ſit, quod in Divinis & in rationibus conſcientiæ, ut cùm aliqui totam vitam frugi exegerint, poſtea circa finem præſumunt de gratia vel emeriti, unde negligentius agentes, maximè demerentur, ſic Principi nunquam ſatis ſerviveris, nec obligandæ gratiæ ſtatueris tibi terminum aut metam, ſed potius gradum, ſi verò mereri parum negligas, ſuperbiam miniſtri ex eo ſuſpicatur Princeps (ſi præſertim illa, verbo aut geſtu quopiam arroganti prodatur, quæ ſingula Principi in oculos incurrunt, & altius quam ſperaſti

in

in pectus demittuntur) Unde sperni gratiam suam eò indignius fert Princeps, quò plus obsequii exspectat ab eo, cui plus præstitit; Suaserim igitur cuique ministrorum, ut in obsequio sui Heri, non ad columnarum Herculis negativam, verùm potius ad columnas Caroli Quinti Cæsaris sæpe respiciat, quarum titulus erat, PLUS ULTRA. Si vult habere, ut perpetuus sit gratiæ Domini sui hæres, non brevis ad tempus possessor, pro amore odium messurus, cùm illæ solæ valeant, (tam ad obtinendam quàm ad habendam diu Principis gratiam) virtutes, Promptitudo, Taciturnitas, Modestia, Perseverantia, cui famulari Patientia necesse debet.

Sed tandem rem claudam, verbis Philippi Cominæi (lib. V. Comment.) *Credibile est Conestablium hoc spectasse, ut metueretur à Rege, affirmare quidem nihil velim, & eò solùm ista commemoro, ut eos qui Principum negotia tractant, officii commonefaciam; mihi si quis esset amicus apud aliquem Principem aut propinquus, huic suaserim, ita se comparet, ut diligatur non autem ut metuatur, nam qui diversam rationem ingrediuntur, ut periculum tandem & calamitatem evadant fieri non potest, ejusque rei multa proferre liceat documenta, non ex Gallis modò, verùm etiam ex Hispanis & Anglia. Ferè autem fit, ut qui bonam & fidelem*


lem operam præstiterunt, arbitrantur sibi aliquanto plus quàm aliis licere: Principes autem contra sentiunt & æquius esse ducunt, ut qui se ejus clientelæ & ministerio tradiderunt, officio fungantur. Memini, quo tempore in hanc sententiam Rex mecum loqueretur (& suum nominabat authorem) affirmans fieri aliquando, ut egregiæ operæ minus liberaliter aliqui remunerentur, idque non tam ingratitudine Principum, quàm eorum qui præstiterunt operam, vitio; dum elati quadam confidentiâ propter rem bene administratam, insolenter & protervè multa faciunt. Ajebat præterea, feliciter agi sua quidem sententia cum eo, cui nullo magno suo merito Princeps benefaciat, & ut quis beneficio sit obstrictus Principi, id multo præstare, quàm ut Princeps clienti aut famulo alicui suo multùm debeat, eoque se ingenio dicebat, ut qui sibi ob aliquam beneficentiam deberent, eos plus diligeret, quàm alios quibus debere se aliquid putaret, tàm est difficilè in omni genere vitæ accommodare se & ita gerere, ne quid erres, magnum igitur est Dei beneficium, valere sensu communi & judicio naturali.

IV.

IV.

SEDITIO MILITARIS ET PROVINCIALIUM SOPIENDA.

Tum quomodo obviandum ne fiat.



Opulus aut miles otio non lasciviat, sed labore & exercitio diſtineatur.

Luxus exulet, unde paupertas, ideò ex defectu tædium & motus, præſtant in eam rem leges ſumptuariæ, aut potius ne importentur ea in Provinciam & divendantur, quæ ad luxum magis ſunt, quàm ad neceſſitatem.

Qui in multitudine plus poſſunt ſuntque audaculi, non ſunt exacerbandi, aut præmia data auferendo, aut promerita negando, aut ſuppreſſis à fortuna non ſubveniendo.

Raro, neque diu, ſimul habenda multitudo.

Non ſint avaræ exactiones ſubditorum,

neque publicis tributis plebs gravetur, verùm partem oneris ſuo proventu levet Nobilitas, prout magis ad Rempublicam ejuſque commoda pertinet, plus item oneris circa tutelam ſumat, neque privatim Nobilitas gravis ſit infimæ & ruſticanæ plebi, ne cogatur patrocinium unius quærere.

Cavendum ſubinde ſeverius, ne per privatos cives exerceatur armis agraria plebs, ne ea armorum commoditate inſurgat contra Dominos, aut in partes unius potentioris & audaculi ſecedat periculosè, præſertim ſi ſuggeratur ſpes libertatis.

Ab ea plebis inſolentia (vel obiter ſuggerendum) Koſacorum noſtrorum potentiam cautius eſſe habendam, ne creſcat infimæ plebis contra Regem & ſtatum equeſtrem potentia, ſed in ea loca paſſim deducantur è fidelioribus populis (Romanæ præſertim fidei cultoribus) Coloniæ; ſic antiqua Roma, nulla re potentius in obſequio, aut noviter ſubjectos, aut infidos ſibi populos retinuit, quàm *ſimilitudine morum & Religionis* quam obtinuit à ſola Coloniarum deductione, neque ſcio aliam Ruſſicarum turbarum nunc ſubeſſe cauſam, quàm quod omnes computandis ab eo populo proventibus incubarent, nemo propagandi Catholici ritus haberet curam, ut ab ea multitudine & unione ſchiſmatis, facilius in non diſſentiente populo

pulo armorum & rebellionis foret conſpiratio. Et vel ab hac eadem cauſa diverſorum à nobis rituum, vix ſperarim Livoniam ad nos redituram, aut illam alteram nobis propiorem fidelius diuque in obſequio permanſuram, præſertim dum acceſſit veſtitus, linguæ, ac per omnia morum diverſitas, omnes aptæ ad diſtrahendum cauſæ, nulla ad retinendam conjunctionem.

Inſcio te ne fiant conventicula, imò capita conventiculi puni ſeverè, aut ſi conveniat in ſimul populus ſeditioſus, habe aliquos tuarum partium qui diſſuadeant & diſtrahant.

Conventicula conventiculis diſtrahe, cùm ſeditioſi conventum habent, tu item aliud ſub idem tempus convoca.

Diſcordes potentes reconciliandi, aut etiam diſtrahendi ſi concordes ſint in malum, verùm ſumma moderatione prudentiæ, ne medendo plus noceas.

Magnæ familiæ impenſius honoribus & proventu curandæ, nam aſſuefactæ in alto, gravius infima ferunt.

Aliquid petentibus concedendum, ſed tamen pericula prius ſeditionis & petitionis objicienda.

Mittendi ſecreti & fidi in vulgus corruptores, ad portas ſint obvii, cum verbis & præmiis priores factioſoſque diſtrahant,

ſeditiones & diffidentias mutuas inſerant.

Non ſtatim adverſeris, imò quaſi juſtos motus appella, ſed modum habendum, nonnulla enim quieſcendo ſanantur.

Qui ſunt vulgo grati, in compoſitionem adhibendi.

Tumultuantem multitudinem imò in præſens furentem, non alia re facilius eludas, quàm ſpecie tractatuum pacis & ſpe obtinendi quod petit faciliter injecta: Interim, cùm hinc aut illinc quomodo id fiat? deliberatur, ſcitè protrahendo, varia cauſando, in alteram diem transferendo, furor interim populi evaneſcit, & qui timeri ante debebant, jam ipſi timent.

Religio, jusjurandum, obedientia ſubditorum, ſalus populi (ne cùm ſinguli diſtrahuntur omnes concidant) proponenda, communem eſſe Patriam, & commune è diſſidio malum.

Per ſpeciem honoris aut legationis, amovendi ſunt Duces ſeditionum aut ſuſpecti.

Per uxores & filios, multa tentantur apud ſeditioſos auctores.

Non in populi utilitatem motus excitari, ſed in ambitum eorum qui irritârunt, periculo aut invidia plurium unius ſtudium promoveri, doce primos illos incentores imperare velle, commodis ſuis non populi ſtudere.

Capi-

Capitum ſeditionis habeas obſides, ut ſi per ſpeciem honoris filios vel filias ad latus tuum capias.

Interim valentiores in populo ſecretè ad te voca, humaniter habe, & quaſi aliud age, dein velut ignarus rem perquire, aut modicè reprehende, aut te eadem ſentire ſimula (pro comparanda tibi ad diſſuadendum gratia & ad expiſcandum confidentia) modò aliâ viâ.

Imò Princeps communicato conſilio cum aliquo fideliorum, eum injuria in ſpeciem palam afficiat, tranſeundi ad ſeditioſos prætextum exinde habituro, ſubmiſſa interim pecunia occultè eum juvaturus, & ſuppeditato in corruptelas ſumptu, quo commodius ille ſe pro capite ſeditionis obtrudat tumultuantibus, ex argumento recentis in Principem offenſæ in ſpeciem audaculus, clam verò fideliter ex mente ſui Heri totum procuraturus: tutius utique Principi, ſi aliquis nobiliorum, ratione, ſuaſu, & decoro virtutis ducendus, quàm ut è fæce vulgi heluo aut rabula, pro capite ſeditionis ſtatuatur, recti, honeſti, humanorum, divinorumque pariter immemor, flagitioſè & inſolenter totum acturus, cui in pace durum ſervitium, turbatis rebus ſub nomine licentiæ ſola libertas habetur, imò cui ſterilis pax & quies, motus & pericula lucro ſunt,

unde in turbas fomes & ardor, quietis ut nihil profuturæ cupido nulla, imo potius odium.

Literas & famam rei mitte in vulgus, adventare hoſtem, neceſſitatem inde concordiæ pro communi ſalute adeſſe, item fore alium exercitum in pœnam rebellium.

Veniam delinquenti aut proditori ſecretorum ſeditionis offer, aut deſciſcenti à ſeditione.

Non terrearis rumore ſeditionis, ſed potius obſerva.

Modo nihil ſpernendum, modo non omnia metuenda ſuaſerim.

Relinquendum etiam rumoribus tempus quo ſeneſcant.

Conciliabula & cœtus diſtrahe aliquo rumore periculi, vel præoccupa prior collegii locum militibus.

Nonnunquam eoſdem conciliatores ſeditionis quære (quaſi per fiduciam virtutis) qui fuêre incentores; Cùm enim bona de ſe exiſtimari præſenſerint, erunt boni, aut diffidentiam illis apud cæteros facies.

Pollicere his aliquid quos idoneos credis; tarda eſſe quæ in commune expoſtulantur, privatam gratiam ſtatim ac mereare recipi, jam eſſe tempus quo virtus ſua Principi innoteſcat, & præteritorum objectio,

jectio, fido præsenti opere diluatur.

Misce minas, cunctos infamiæ, se ipsos morti eximant, in pace causas & merita spectari, ubi bellum ingruat, nocentes atque innocuos juxta cadere.

Tum fortioribus remediis agendum, ni molliora succedant; jube duos tresve per secretum deprehendi, aut in obsidium effrænati vulgi, aut in pœnam & terrorem reliquorum.

Hæc omnia per alios facies, tuam præsentiam & verba ultimis servaturus.

Constans sis adversus metus, nec inania famæ pertimescas.

Caput rerum non omitte, unde in omnia regimen.

Si necessitas urget, i, & oppone authoritatem; cessuri, ubi Dominum munificentiæ & severitatis summum aspexerint, sed tamen cum valida manu fideliorum militum accede. Præcedant aliqui, qui aures seditiosorum ad tuum adventum præparent. Sic Alexander magnus per Præfectos copiarum aures militum sibi prius paravit, antequam eos alloqueretur, cum seditionem orsi fuerant.

Initiis seditionum obstandum, antequam multi consentiunt in malum, nec dandum tempus confirmandi se, sed cautè, ne illud incurras (quod ajunt) *Multi fallere docuerunt, dum timent falli.*

Fortuitis ſopiuntur ſeditiones, ut apud *Tacitum* ſopita ſeditio in exercitu, dum luna clariore cœlo viſa langueſcere, ſi rectè ſcias accommodare rebus fortuita.

Seditio ob religionem difficulter ſopitur, niſi concedas aliquid in ſpeciem, cave tamen ne Scholas aut Typographias permittas, ſubruendo potius fundamenta & amovendo ſemina malorum, quàm ut foveas. Deinde non provoca in certamen quæſtionis de religione, ut neglecti neque vexati ſegneſcant & langueant ſtudio, vexatio provocat cum ratione contumaciam; Nocuit pleriſque Provinciis curioſa de religione contentio; ſupplicia verò, judicia, inquiſitio, & pœna circa religionem, magis accendunt animos in obſtinationem, niſi jure belli (qui extremus rigor eſt, & potius penes metum, non penes imperantis odium) imponere in noviter ſubjugato populo aliquid velis, ſed tamen etſi debellatum fuerit, aliquid ad leniendos animos concedendum, ne ſi planè extirpare ſtudeas, cùm partem pro neceſſitate conſcientiæ recuperare volunt, periculum ne totum vi obtineant. Cavebis etiam ne ſub titulo extirpandæ hæreſis aut ſchiſmatis bellum incipias, niſi difficillimo negotio implicari velis, verùm alio ſub prætextu. Utinam tantas non dediſſet pœnas hujus erroris *Belgium*.

Sedi-

Seditiosi (aut potius seditionum auctores) inter se committendi per mutuam diffidentiam, vel præmii accepti à Principe, vel privati studii, vel ex comparatione virtutis (quæ odiosa sunt) vel ex æmulatione honorum, si abjecti cum ingenuis committantur.

Mutandi aliquando cohortium Duces, quominus valeant ex novitate.

Quod speras à te per seditionem extorquendum? *potius sponte offer*, ne extortum esse videatur, & aliquid extorsisse assuefacti, semper velint.

Typis divulga injustitiam petitionis & seditionis, sed hoc in seditionibus Provincialibus præsertim usurpandum.

Noli minari, sed potius spem veniæ offer, vel si punire necessum sit, pœna sub manu nascatur.

Externo bello distrahuntur civilia, & seditiones impediuntur, si ducas properè in hostem.

Habeat aliquam occupationem populus, ne nova moliatur per quietem.

Exarmandi suspecti populi & plebs, ne item fabros novorum armorum habeant, ne mercatores arma divendant, ne cum armis juventus incedat, ne pulverem nitratum fieri curent, ne urbes & domos privatas aut castella muniant, ne legationes exterorum recipiant, aut suas aliò mittant.

Ducis aut Principis liberalitas plurimum avertendæ ſeditioni prodeſt, ſi videant, nec ſibi illum, nec ſuis parcere.

Danda opera ſub initium ſeditionis, ne coaleſcant ſeditioſi. Separa ergo quoad potes.

Magnis propoſitis præmiis excitandi, qui ſeditionum auctores ferro deleverint, ſed hæc extrema ſunt & ſæpius illicita.

Seditione compoſita nullâ militaris muneris prærogativâ ſeditionum auctores donandi, *ne præmia abeant in exemplum audaciæ.*

Per varias turmas diſpertiendi ſeditioſi, ſub alio prætextu.

Sex uſurpari ſolent ſeditionum remedia, inquiſitio, diviſio, tranſactio, vis armata, judicialis cognitio, cauſarum unde naſcuntur amotio.

Curandum, ne ærarium commune ſeditioſi habeant, vel illud diripiant dividantque conceſſa impunitate direptori, aut aſſignandum in præmium aliquibus è ſeditioſis, veteris meriti causâ.

Ille locus obſidendus eſt, unde arma, pecuniæ, commeatus petantur à ſeditioſis.

Præmium & impunitas ſeditioſo promittenda, qui alterius ſeditioſi caput attulerit. Eâ viâ Sixtus V. Pontifex, proſcriptos in Italia ſuſtulit.

Authores militarium tumultuum, in

præ-

præſentia militum mortis pœnas luant.

Seditioſum militem (ſub ſpecie alterius alicujus criminis) jube comprehendi ac detineri, quaſi majores pœnas paraturus, interim alii ex compoſito intercedant, & correctionem polliceantur, vide tamen ne magis exacerbes ſi impunè dimiſeris, quod erit dexteritatis.

Conſiliarios aut ſecretarios quibus ſeditionum Duces innituntur, muneribus corrumpe, veniam & impunitatem offerendo ad te trahe.

Si potens es viribus, properè accede ad rebelles & ſeditioſos, jube comprehendi capita ſeditionis, reliquis obſequium & laborem impera, velut neſcius ſeditionis, aut ſi ſciens, cum ſpe parcendi ſi fideles ſint.

Curandum ne quid milites per ſeditionem extorqueant, licèt juſtum prætextum petendi habituri, ne aſſueſcant extorſioni, utve deſit in poſterum (à neceſſitate petendi) alimentum turbarum, potius finita ſeditione pro arbitrio aliquid concede, quam ut extorſioni adſcriptum ferant.

Antequam matureſcat ſeditio, potiùs ultrò laceſſe hoſtem, ut novo periculo diſtrahas ſeditionem.

Haud ſecurè cum tota multitudine tractatus ſopiendæ ſeditionis tentaveris; cura

potius ut aliquibus è medio ſui poteſtatem tractandi permittant, interim eos delegatos omnibus modis ſuadendi & munerum aggredieris, partim (ſi tutè poteris) admiſcebis minas, pro capitibus ſeditionis cenſendos, ſi facilia remedia rejiciant, jam ſingulos in parte, jam omnes ſimul aggrediendo, ut trahant ſui authoritate ad meliorem mentem inſanam multitudinem, probentve ſe Reipublicæ, aut alia ſimilia proponendo.

Si verò armis decertare neceſſum ſit, cavendum ne Princeps temerè per contemptum belli mittat in experimentum ſuas vires cum ſeditioſis, verùm aliquo tractatu pacis rem diſtineat, antequam vires contrahantur. Cùm verò non deſperaverit debellandum iri, tum potius arma quàm conſilia expediat; Maxima enim Politiæ ratio eſt, ne ſuperior deſcendat in certamen cum inferiori quàm ex bene præparato, cùm naturale ſit inferiorem quid majus ſuſpicari de ſuperiore, quàm forſan in re ipſa ſit, alias capto experimento ſui (ſi bene prima ſuccedant) eo magis inferius ducet, quo magis antè ſuperiorem æſtimavit. Imò licet ſi bellum incipias felici in tuas partes ſucceſſu, propone tamen ſponte ſpem clementiæ, antequam fortuna vertatur (quæ ſemper inconſtans eſt) neve à deſperatione fortius ſeditioſi

ar-

armentur, cautè tamen ſpes veniæ promittenda, ne ficto in tempus obſequio eludaris, verùm partim clementiam oſtenta, partim armis ſimul urge, neque occaſiones vincendi intermitte, alias imprudens ſis, & pro mollitia animi pueriliter eludendus.

Servilia bella, nunquam aut raró, (idque niſi in eluſionem) per tractatus pacis ſopiveris, ſed commodius ferro oppreſſeris, inſanum alias ſit conditiones pacis ſervo præponere, cui ſeditionis licentia major libertas in bello eſt, quàm poſt bellum; niſi è ſervo liberum, ex inferiori parem paciſcendo agnoſcas, ad primam certè ſervitutem, niſi coactus & manu compreſſus ille rediturus, ſponte nunquam, utinam moderna *Coſaciana* ſeditio, rem aliter tandem pro me loquatur.

Bella ſervilia propere admota vi & omnimodo ſupprimantur conatu, quoaduſque recentis ſervitutis conſcientia, & verecundia Dominorum reſtat in ſeditioſis, ſi verò acceſſerit mora & dulcor (partæ per ſeditionem) libertatis invaluerit, aut tardè, aut multo ſanguine pacem tibi emeris.

Frequentem exercitum niſi hoſtis immineat ne cogas in unum locum, aut ſi ſimul eſt? per exercitia diſtrahe, ne ab otio & multitudine, novis rebus ſtudeat.

Æqualia ſtipendia licèt parva retinent exercitum, poſtquam verò aliqua cohors plus acceperit,in reliquis ex invidia odium, murmur, motus.

Julius Cæſar in Galliis incepto Civili bello, mutuatam pecuniam à Centurionibus & primariis legionum Præfectis ſumpſit, in ſolutionem reliquorum militum, unde non tantum neceſſitati ſubvenit ſolvendo exercitui, verùm etiam vadimonium certum fidei habuit, ne ſe defererent, aut in aliam partem deſciſcerent, metu amittendi conceſſi.

Nimia inquiſitio reatus in præpotentes cives, perturbat ſæpe Rempublicam, ideò aut minora delicta non videnda, aut parcenda in ſpeciem clementiæ ne cum omnia pro ardore animi & importuno zelo vindicare vis, totum potenti contumaciæ concedas; aliquid certè potentiæ concedendum eſt, ne totum pervincat irritata, ſi verò omnino vindicandum ſit? velut uno ictu reum manu teneas, judices, & opprimas ſimul. Si cautius aut potius mollius cum ſuo Cæſare egiſſet Roma, non deſcenſum fuiſſet eò civilium armorum, quæ cum ardentius in præſidium ſui partes circumſpicerent, eò ſervitutis deductam Romam videmus. Potius conciliandos ſibi præpotentes cives prudens quiſque Princeps tum Reſpublica curet, quàm ut

ut in eos peccantes importunè & irrito conatu animadvertatur.

Longa obſervatione compertum habeo, nec ideò inter oriendarum turbarum remedia recenſere omittam (præſertim ſi fiat in Republica populari, ubi civiliter inter concives res aguntur, ac proinde reſpectibus quodammodo laborari neceſſe eſt) ut in ea negotia, quorum reddi rationem civibus oportet, ſeu ſint quæſturæ, ſeu commiſſionis multi momenti, potius minores civium probatæ virtutis legantur, quos facilius arguas, tum ipſe ſponte vereantur, quàm illi qui ſe magnos venditant, & multas poſt ſe trahunt factiones; hi enim fiduciâ evadendi, multa damnoſa protervè aut per negligentiam agunt, & ſimul cenſuram tranſacti negotii in offenſam trahunt, ut aut multa in illis diſſimulari nocivo exemplo neceſſe ſit, aut ſi ad rigorem vocentur, primum occultæ offenſæ oriantur in rectos cives, qui ad normam & legem cuncta vocant, dein errorum exprobratio mutua, tum apertius odium, & palam fiat diſcordia.

In plures partes diſuniri oportet ſeditioſam aut ſuſpectam Provinciam, ſingulis dans ſingula capita, tolle commune ærarium, ſodalitates, comitia, ſeparatim non in commune conſulant, ut diviſi in factiones non coaleſcant amplius. Muta item edu-

educationem liberorum & ſtudia, ut in naturam tui populi formentur, imò tuis impenſis curabis inſtrui præcipuarum familiarum juvenes (ſic Alexander Magnus Perſarum ephebos Macedonico cultu inſtrui fecit; neque alia ratione commodius, veſtitum, linguam item tibi vernaculam introduces. Leges præterea non aliâ linguâ dictentur quàm tuâ: Magiſtratus non alio habitu veſtiantur quàm tuo, quo ſenſim reliqui morem recipiant tuum, & exinde imperium.

Non abs re nec non ingenioſè quidam recentiorum annotavit, inter ſeditionum remedia. *Licentiam aliquam* (ſed moderatam) *animus populorum gravatè affectùs indulgendam, ut ſatius ebulliant per exteriora dolores & in fumos abeant, quàm ut tandem erumpat ex occulto gravior inſolentia.* Rem altius penſando. Cùm alias aliqui fuerint nobis Reges (ne quid gravius dixerim) certè non multo populi ſui amore digni, tamen in hoc populo non ſint (aut vix quidem per tot ſeries annorum legantur) in ſuum Principem ſeditiones & turbæ. Nec alia cauſa ſit, quàm dum malè affectis erga Principem civibus, liberè hic conqueri, & extra offenſam pro injuria palam loqui licet; dumque ſic ebullit per exteriora affectus, velut ſatisfactum ſit animi læſioni, non ultra verba ſe effundit. Nam velut amoris,

amoris, ſic odii affectus non maneat diu intra pectus, ſed (velut virus emovendum) verbo aut facto in apertum erumpat neceſſe, dum verò *loqui* non licet, periculoſiore *facto* tandem prodatur. Graviter ideò falluntur, ſi qui, Principis in populum ſuum acuunt odia, quod aliquando liberius populus queruletur, potius in parte duraturæ felicitatis repoſituri, quod ſic per verba ebulliat & deferveat populi affectus; niſi malint experiri prout incauti medici, dum præcociter neque ex arte, aliquas ſupernas in cute puſtulas (quæ occulto naturæ beneficio ad exteriora ſeſe effudere) violenter curando, retrò ad internas partes retrahunt, & ſimul humores nocivos retrovertunt, unde ulcera exitialia & mortifera apoſtemata intus inducantur: Sic in iis exterorum populis, qui extra nomen Reipublicæ gravia Monarcharum experiuntur juſſa, dum ora, verba, nutus, vitio cenſorum ſubſcribuntur, neque (niſi citra jura & offenſam Majeſtatis) liberè cuiquam conqueri licet; tunc illi populi, Principum ſuorum factis *Vultu qui maximè ſervit, aſſentiuntur*, ſed animo coquunt odia, occaſiones erumpendi amplexantur, modò adſit dux & author; recenſere præſto ſit, quæ vidi ipſe, quæ legi, niſi hæc populorum ſcandala ſubticere malim. Quidni ſatius in noſtra gente,

gente, si gravius aliquid in populo inductum sit à potestate regentis, dum aut obstrepunt cives, aut admittendum ex obtentu libertatis palam excusant. Efferbeat ne ideò Princeps? vindictam acuat? jus Majestatis obtendat? Minimè; sed potius molliter populum ducendo non trahendo, rem diluendo non imponendo, suadeat, & necesse persuadeat populo, ut postea licet grave sit, tamen quia sponte susceptum, non gravatè sed lubenter, populus suo Principi (imò suæ Reipublicæ) præstet quod sit opus, ac malit utique Princeps *Negatiuam* populi experiri, tum expugnare palam in *Verbo*, quàm occultius reconditam *offensam* negligere in *populorum animo*, quo illa coquatur ardentius, tandem per occultas in Principem factiones ebullitura; Unde procul absunt nostri Principes, & populus procul abest ab ea mente.

V.

RESPONSUM

In gratiam cujusdam sermonis privati, bonone fiat Reipublicæ Polonæ, ubi non pluralitas vocum, verùm consensus ponderatur.



Acessant scioli rerum Novatores, qui curiosè magis quàm scienter damnant assuetam consultis nostris *Vetandi* libertatem, cum quibus garrulus non contendam, satis superque dicturus, ut si libertatem *vetandi* tollant, grave damnum Reipublicæ inferant. Nec à discursu aut vano à conceptu hæc proloquens, verùm ab eo loquentis de Republica præceptorum maximo *Nosse Rempublicam*. Quantum ex antiquorũ monumentis colligere licet, eundem *Vetandi* aut *Jubendi* morem Romæ olim fuisse comperio. Ut absint cætera, Sallustius de bello Catilinario in argumentum rei sufficiat, dum in eum modum ait: *Mihi multa agitanti constabat paucorum civium egregiam virtutem cuncta patravisse, eoque factum, ut divitias paupertas*

tas,

tas, multitudinem paucitas ſuperaret, &c. Memoriâ meâ ingenti virtute viri fuêre duo, Marcus Cato & Cajus Cæſar, &c. Unde præter illud, quidquid præclarè Romæ ſit geſtum, ad paucorum virtutem (ex poteſtate aut *Jubendi* aut *Vetandi*) relatum fuiſſe conſtat, mirari etiam non abſtineo, in ea olim urbe vera prudentiæ & virtutis ſede, aut domicilio, tum eo ſæculo, quo Majeſtas Reipublicæ Europæ finibus non contenta, in Aſiam, Africamque ſe effuderat, tanti ſcriptoris teſtimonio, ab unius potiſſimum Catonis aut Cæſaris, duorum ſcilicet Civium dexteritate ſummam rerum perpendiſſe, ſed (inquam) quid mirer? omnibus ſæculis, in omni Regno & Republica, vel (ut preſſius loquar) ſcio alibi, ſcio itidem in noſtra Polonia, unum duoſve nec plures ætate fuiſſe una, & nunc paucos eſſe, quorum magnis nominibus & virtuti quidquid rectè factum ſit, totaque ſalus Reipublicæ debeatur. Quid pluris? ſi quavis ætate, ſi ubiquè paſſim omnes aut plures æquè fuiſſent per virtutem magni, curioſa & ſuperba rerum ſuarum antiquitas, plenos noſtram ad memoriam porrexiſſet magnorum virorum (cujuſque ſæculi) Catalogos, verùm ſecus parcius Spartana, Athenienſium, Romana, antiquæ Reipublicæ nobis recitârunt, parcius item horum ſæculorum recita-

citabunt noſtræ, quaſi per naturam rerum ſic ordinantibus fatis, ut haud aliter neceſſum ſit, quàm ut una ætas, licèt paſſim præclaros in Republica ferat viros, ſummorum tamen nominum, vix unum duoſve producat, qui reliquos (authoritate præituri) ad capeſſendam Rempublicam emoveant, quorum authoritati omnes concedant, & magnæ totum confidant virtuti. Si enim paſſim, ſi omnes æqualiter ſe magnos venditent? quid niſi pro æquali magnitudine æmulatio? pro diverſitate conceptuum diſſenſus, pro diffidentia factio? ex colliſione animorum contentio, pro æquali potentia oriantur motus & turbæ. Quoad uſque (ex ſententia tanti ſcriptoris) Catonis & Cæſaris nomina, Romæ ſummum emicuêre, quam pulchro ductu volvebatur ille magnus imperii orbis? poſtquam verò acceſſit tertia Pompeji (paritatis impatiens in Julio Cæſare) nominis opumve magnitudo; orta primum æmulatione, dein diſſenſu, *Vrbem, Italiam, gentes, nationes, totum denique qua patebat imperium, quodam quaſi diluvio & inflammatione corripuit.* Ut illa pulcherrima Reipublicæ compages, duorum Principum colliſione diſſolveretur. Verùm ad rem revertor. Nec eſſe, nec poſſe haberi eadem ætate ad ſtabiliendam Rempublicam, niſi paucos cives ſummæ cum vir-

virtute authoritatis, unde mihi cauſa & impetus dicendorum.

Require nunc quiſquis es pluralitatem calculi in hac Republica, tolle conſenſum, & malis à pluralitate (id eſt factione aut temeritate) numerari, quàm à prudentia & virtute ponderari voces, quidni multitudo pejorum prævalebit paucis melioribus? quidni totum infectum reperies, quod pauci boni publico bono promoturi, totum obtentum quidquid pro ambitu plures (quaſi dixeris pro factione) factum velint? cùm ut verbo dicam nec *Jubere* bonum, nec *Vetare* malum pauci contra plures poſſint; idque unicum obſtiterat conſiliis & fortunæ Carthaginenſium bello contra Romanos; cùm enim Barchinorum ambitus & factio majorem partem civitatis in ſuas partes traxiſſet. *Ac licet ferè optimus quiſque Hannoni* (qui erat vir bonarum partium) *aſſentiebatur, ſed ut plerumque fit, major pars meliorem vicit.* Pejorum civium mentionem feci, nec tamen peſſimorum & nullius virtutis, verùm eorum, qui cùm ad Rempublicam acceſſerint, vel ex eo tamen pejores vocari poſſunt, in quorum animos odium, gratia, metus, tum privati commodi reſpectus, peſſima recti conſilii & bonæ mentis turbamenta multum poſſunt, ut ſæpius ab illo ſcopo publici boni aberrare neceſſum

Livius lib. XXI. Hiſtoriarum.

cessum habeant, in privata studia & potentiorum factiones facile abituri. Abunde satis pro libertate vetandi me dixisse putarem, si hæc tibi magni judicii viro legenda ferrem, verùm quia hæc mea ad manus aliorum credo deferes, latius expediam. Quibuscunque meliorum civium boni publici inest studium, duplici ad illud obtinendum feruntur via, aut enim authoritate sui penes prudentiam consilii & virtutem, omnes in idem sentiendum permovent, vel nisi succedat, ut sponte quisque rectum sequatur, ab invitis extorquere assensum necesse habent. Illa priori via rarius & nisi aliquid urgens omnino sit, assequare, in scisso plerumque per privata studia & respectus populo, posterior sæpius succedit, prudenter urgendo, vel si dicere licet *Extorquendo*, non tamen vi aut armis non pro imperio, sed per consuetam *Vetandi* libertatem, velut olim Romæ factum; ubi cum aliquid (aut pro recuperando quod in libertate depravatum erat, aut pro novo parando si aliquid in melius desiderabatur) habere voluit populus, non aliâ viâ quàm extorsionis assequebatur; sic patrocinium libertatis in Tribunis plebis obtinuit, sic promiscua Matrimonia Patriciorum & plebis, sic è plebe Consules, sic (quod primo dicendum erat) superbiam decemvirorum, nomenque decemviratus sustu-

ſuſtulit. Cùm enim neceſſario quovis Reipublicæ tempore, ſubſidia belli & delectum Patres poſcerent, fortius obſtabat populus negando, antequam quod in rem ſuam profuerat, lege ſcriptum ferretur, ut ferè quæque neceſſitas Reipublicæ novæ libertatis populi, occaſionem daret, (*Livius prima Decade Hiſtoriarum ſparſim & apertè*) Da ergo quiſquis es eo caſu, ut abſit *Vetandi* libertas, nonne poſthabita paucorum pro virtute civium contraventione, cæcus, iners, temerarius, ex pluralitate calculus prævalebit. Nonne bonorum civium ſeu *Veto* ſeu *Peto* ſola excludetur paucitate, ut pretium abſit virtutis, prudentiæ, rationis, ſed niſi calculorum, ut valentior factione pauperi virtuoſo, inſipiens prudenti, corruptus prævaleat civi recto? Verùm oppones mihi regna, nationes, ubi concludendi poteſtas penes plures, quaſi conſulendo promptior, exequendo expeditior, concludendo pacatior, cùm non perſona aut animus circa obluctationem, ſed calculus vincitur. Imò (dico adhuc) in argumentum pluralitatis, oppones Venetorum Rempublicam, nec tamen ideò *Vetandi* libertatem circa integritatem & arcanum ſtatus noſtri prudenter tolles. Nam verè ubicunque gentium pluralitas calculi prævalet, non ex eo ſuccedit, quaſi illic plures habeantur boni

quàm

quàm apud nos, & sanioris judicii, verùm quia abest inibi animorum & libertatis corruptor; nam seu Monarcham dicas, non est quid ille in suo regno circa libertatem corrumpat, neque adest, cur pejorum civium (contra pauciores) utatur pluralitate omnia pro libitu agens. Seu Venetorum Rempublicam in argumentum rei opponas, etiam illic abesse fateberis corrumpendæ libertatis (ut sic dicam) venena, ab ea potestate Principis quæ parva est; cùm ille solo nomine Princeps sit, re ipsa verè primus senator, primus Patricius, primus Reipublicæ Civis; Nobis verò Polonis, majoris authoritatis, tituli, & potentiæ sunt Reges, quibus divisâ licèt cum Republicâ jubendi consulendique potestas inest, Majestas tamen Regum alia. Tituli verò, honores, munia Reipublicæ, & benemeritorum præmia in manu & in arbitrio illorum sunt, non levis animorum captio, & corrumpendæ pluralitatis modus, ut ab eo potestas senatus, equitum, totiusque Reipublicæ summa, unum in Principem facilè ire debeat. (Imò Religioni Catholicæ periculum ex eo foret, si aliquando frigescente zelo Catholicorum, numerosa hæresis calculo prævaleret & voto) si absit *Vetandi* libertas & virtus, in iis pectoribus, quæ respectu gratiæ & offensæ vacua, rectâ amoris pu-

blici boni ducuntur viâ, imò dicam in iis paucioribus civium, quos bona fata ex mente ſummi Patris Rerumpublicarum Dei, ad tutelam Reipublicæ quavis ætate producunt, incorruptæ virtutis. Revolve ab antiquo noſtri populi faſtos, videbis facilè multis occaſionibus, (ſeu augeretur libertas Reipublicæ, ſeu ne vexata rueret) penes paucorum civium ſemper ſtetiſſe virtutem, diverſa enim ætas, nec una tulit nobis *Duninos, Oleſnickios, Granoskios, Tenczynskios, Tarnoskios, Zamoskios, Caſimirskios, Niemojoskios, Mieleckios, Zboroskios, Herburtos, Zbarazkios*, & quæ multa alia vera virtutis ſimulachra (amoriſve in Patriam infracti) verius quàm viros, longum foret recenſere. Non igitur aliquis pluralitatem calculi nobis invehat, tum conſenſum & libertatem *Vetandi* damnet, quàm ut libertatem & vim Comitiorum ſubvertendam velit. Rem meam planè loquitur *Plutarchus* (*in Catone minori*) cùm enim paſſim prævalerent Romæ malè affecti cives, qui publicum bonum per privata ſtudia palam diſtraherent, nec ſe Reipublicæ uſui, verùm ſibi quæſtui Rempublicam haberent, non aliud reſtabat remedium Catoni pro Republica zelanti, quàm ut ad præſidium libertatis ex poteſtate *Vetandi*, tanquam ad arcem confugeret, quæ ſola in Tribunis plebis

plebis erat. *Cato in Lucaniam profectus, ubi in itinere offendit Metellum Nepotem, Magistratus petendi causa Romam venire, retrò suos abire jussit, mirantibus hoc amicis; An ignoratis* (ajebat) *Metellum vel per se ob stoliditatem suam Civitati metuendum esse, is nunc de sententia Pompeji adveniens in Rempublicam incidet fulminis in morem, atque omnia perturbabit, non igitur otii mihi aut peregrinationis tempus, sed aut inhibendus iste homo, aut præclaro certamine pro Republica oppetendum est. Cùm ergo venisset Romam, manè in forum descendit Cato, Tribunatum plebis petiturus, ut resistendi Metello facultatem haberet. Etenim ejus Magistratus major est, in impediendo vis quàm in agendo, & reliquis omnibus uno excepto quicquam decernentibus, unius illius prævalet sententia.* Sic penes libertatem populi Poloni stat, tum penes potestatem *Vetandi*, ne aliquid nocivum in Rempublicam invehatur, ut ex ea tanquam ex arce quadam, in gravia jussa, tum in nocivas aliquas novitates (si quæ invehantur) pugnetur, & *quia non in agendo, sed in impediendo hæc potestas est*, quod pro libertate impetrare directè non possunt boni cives, aliorum studia impediendo, honestè sua extorquent, ut alias vetandi libertate sublata, velut inermem (aut verius *sine scuto*) libertatem facilè opprimendam, manere opus sit.

Illud tamen in rem communis boni haud improbaverim, quod opportunè animadverſum accepi, deſiderari (videlicet) non leviter facilitandis Comitiis, ſi equites cum ſenatu colloquantur ſimul prius de ſumma conſilii, antequam Comitia aggrediantur (impoſita cuique ſenatori atque delegato provinciali ad edictam diem eonveniendi neceſſitate, ne primi dies cunctatione coëuntium trahantur) quatenus collatis in commune & conciliatis ſtudiis, pro communi bono coram Principe fidentius laboretur, & alia de cauſa, quam intra ſtatus arcana tacitus relinquo. Neque obſit, ſecretiori ſeceſſu equitum collegium muniri, ultra enim quod ab ignoto major inſit conſultis Majeſtas, ſed periculoſum etiam, ſi paucioribus conſultantibus, major nota ignotaque circumfundatur multitudo, curioſa, cenſoria, garrula, detractoria, proditoria, ut tantum venena exſugant verborum, obviarum menſarum aſſeclæ, gratioſi purpuratorum clientes, aulæ mancipia, per varias aures garrulè dicta circumlaturi, levius utcunque ſi ex vero prout ſe res habuit, ſed varia interpretatione prolatum trahentes, pro bono affectu, pro livore, pro aucupanda gratia prout conducit, vel in eum à quo auditum, vel cui defertur, ut pro circumfuſa multitudine & pro aucupanda populi aura, labo-

borare quodammodo necessum sit; inde pomposæ succrescunt rationes, & inutile temporis dispendium, inde in suas partes quemque factiosum pertrahendi studia, mox contentio & animorum offensæ, ut reliqua subticeam. Recentior ætas tulit nobis Judiciarium Tribunal, neque illud alia authoritate muniri voluit, quàm ut amotis arbitris de alicujus civis fortunis & capite secreta decreta ferret. Potius verò cum in Comitiis de capite & fortunis omnium simul civium, de sacrorum & Religionis cura (aut quidquid sub nomine Reipublicæ latet) fertur sententia, secretius dicenda erit, occluso consilii secessu, ut sublato gratiæ aut offensæ respectu, sola maneat in animis sentiendi libertas.

VI.

METHODUS LECTIONUM.

GEORGIO BOGUSLAO

ET

JOANNI PETRO PAULO,

Filiis ſuis inſtruendis præſcripta.

Virtuti (fac bone Deus) & Patriæ ſuccreturis.

PRIMA LECTIO.

Hiſtoria Geographica cum formis Rerumpublicarum & quæſtionibus Politicis.



Ro ingreſſu & præparamento ſtudii, quatuordecim primi dies dabuntur demonſtrativæ explicationi globi terreſtris, ſeu tabulæ mundi univerſalis, cum aliqua graduum, linearum, circulorum, zonarum,

rum, atque polorum cognitione, ut facilius intelligi possit ex universali positione mundi, partium orbis divisio, flexus & sinuatio marium, tum mutua contiguitas regionum, quas narratio Historiæ suggestura.

Atque imprimis sumenda erit Historia Justini, in Politicam observationem, Regiones & bellorum motus (prout occurrunt) ad tabulas antiquiores Ptolomæi demonstrativè reducendo, quia verò res Græcorum (maximè) inibi recitantur, Atheniensium præsertim & Lacædemoniorum, idcirco instituta Solonis & Licurgi, ac totalis forma earundem Rerumpublicarum sufficientissimè ad calamum tradantur, res gestas Græcorum populi illustrando, ex iis qui sunt in ea materia præclari authores. Neque tamen omittenda erunt instituta *Corinthiorum*, *Thebanorum*, *Achæorum*, *Macedonum* (vel obiter) *Scytharum*, *Persarum*, & aliorum populorum, quos Justini Historia pulchro sciendi compendio memorat. Atque eidem operi insistendum erit, *Mensibus tribus continuis*.

Tres sequentes Menses dabuntur Annæi Flori Historiæ, narrata illustrando ex Livio & reducendo ad tabulas Ptolomæi Geographicas antiqui orbis, ut satis constet (in præparamentum altioris studii)

quibus legibus ac moribus, tum artibus pacis & belli prudentiſſima Romanorum Reſpublica ſteterit. Reliquum anni quod ſupereſt *Sex Menſium*, cognitioni tabularum Geographicarum recentioris orbis (ex Athlante) impendetur; Neque ſatis ſit ipſam poſitionem regionum noſſe, verùm illud maximum (quod intendo) ut ſtatus Politicus cujuſque populi in notitiam veniat. Atque inprimis moderni ſtatus Imperii Romani ſub Cæſaribus Germanis, tum ipſius Romanæ urbis ſub Pontificibus, dein, (ſuo quæque tempore) Hiſpaniarum regna, Italia, Gallia, Anglia, Suecia, Dania, Hungaria, Boëmia, Moſchovia, Turcicum imperium, urbium Hanſeaticarum ſocietas, tum Reſpublica Veneta & Confœderati Belgii, demum ipſius Poloniæ ſtatus Politicus (à perfectiori præcedentium notitia) obſervationi ſubjiciatur. Scire enim cuique viro bono profuerit, quibus legibus, fœderibus, viribus, moribus, ærario, qua maris terrarumque commoditate, quibus confiniis, hic vel ille populus ſubſiſtat, in quo augmentum, in quo diminutionem capiat? ut probè ſciatur, quorum fœdera nobis optanda, quorum cavenda hoſtilitas, atque hoc ſtudio publicæ ſcholæ dabitur.

Octo conſideranda.

Privatæ occupationis loco pro exercitio memoriæ, libri Politicorum Juſti Lipſii, cùm

cùm notis (per capita) indies legantur, prudenter dicta obſervatave memoriæ mandando. Quantum verò ad exercitium ſtyli & ingenii pertinet, viginti & quatuor quæſtiones Politicæ, binis hebdomadis ſingulæ pro accuratiori in utramque partem diſcuſſione, bono ſtylo privatim componentur, themate propoſito, ac ſi libuerit, Dialogi adinſtar declamabuntur.

Illæ verò Quæſtiones futuræ.

1. MEliorem eſſe miſtum ſtatum Reipublicæ præ cæteris formis ſimplicibus, ſeu ſit Monarchia, ſeu Ariſtocratia ſeu Democratia; ideóque miſtum ſtatum Polonorum probari, qui ſimul Monarcham & Ariſtocratiam præ ſe fert, cum aliqua etiam ſpecie Democratiæ, pulchro regiminis temperamento; in quam rem non ſine multa doctrina legas *librum ſextum Hiſtoriarum Polybii.*

2. Melius eſſe electivum Regnum ſucceſſione, ut multa bona electivi Regni omittantur, illud neceſſario dicendum. Cum tres ſint in populis primariæ bellorum cauſæ, aut à *Prætenſione juris*, aut ab *Inſolentia* invadendi, aut pro *Libertate*: Nobis tamen Polonis pacata plerumque ſunt noſtra, quia prima illa & maxi-

ma bellorum causa deest; Apud Occidentales, ubi in Regna, Ducatus, Provincias, ex sanguine successio valet, primò affinitas, dein petendi prætextus, successio, jus, obtenduntur, hinc collisiones armorum, ac hæreditarium bellum; ut quoadusque supersint prætensivi hæredes, etiam sint perpetui imò hæreditarii hostes; miseria exinde civium restat, cùm non pro Patria quisque sua, sed magis pro suorum Principum libidine imperandi, fundere sanguinem cogantur, innocua victima bello casuri. Quis satis narret prætextus ex successione, & ab eo mutua bella Regnorum, Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, Neapolis, Navarræ, Ducatus Burgundiæ, & passim aliorum; nobis Polonis uti nulla in sceptra ex hæreditate successio aut prætextus, nullus etiam hæreditarius adest hostis, vel si Deo placet ad castigandos nos finitimorum insolentiam armari, quò æquior causa nobis, eò propius victoriam sumus, imò quò infirmior ab adverso belli prætextus adest à sola insolentia invadendi, eò facilius parvi successus armorum nostrorum ad summam pacem nobis conferunt, cùm de præda non de prætensa possessione bellum est, & ideò tentatur verius quàm geritur; non enim tantus in arma ardor est, tum bellandi obstinatio, invadendo aliena quàm si reputantur sua. Interna itidem pax facilè

facilè inter ſuos componitur, dum pars parti condeſcendit ſi quid deviatum, & tum conceditur facilè cuique Ordini, quod ſui juris eſt aut prærogativæ. Hæc ſunt (ex mille aliis) dona Electivi Regni, præſertim dum ab externis Principem eligere mos hic tenet, ut quò magis ſuorum ab eo ſpes ſunt alienæ, eò magis ſint mentes omnium eligendo pacatæ.

3. Magis convenire cum natura Reipublicæ præſertim ad æqualitatem retinendam, dum filii Nobilium æqualiter ſuccedunt in bona Parentum, quàm ubi major natu hæreditat reliquis fratribus excluſis, veluti fit in Italia, Gallia, & alibi.

4. Melius naſci cives ſub æqualitate titulorum Nobilitatis, quàm ubi adſtruuntur gradus, ut virtutis ſit honos, non naſcendi.

5. Conducere magis Reipublicæ, dum extraneus in Regem eligitur, quàm civis, ſuus quidem plus prodeſſe ſuis poſſit, dum non magis ſua quàm ſuos amet, verùm ſi convertatur in pejus, plus etiam nociturus. Nam *ſunt acerrima proximorum odia*, ſatius igitur mediocriter proſit, modò ne multum noceat. Adde quia peregrino deſunt inſtrumenta nocendi, remotus ſanguis & factio, ſuo quò propiora hæc (imò intimiora) eò propior gradus ad obtinendam Monarchiam.

 6. Di-

6. Diverſas religiones in regno non eſſe utiles, ideò unicam fovendam, & quomodo ſine domeſtica turba diverſæ aut vitentur aut tollantur, ſuggerendum. Maximam ſemper adfuiſſe occaſionem & alimentum bellorum, inter noſtros Coſacosve, à diverſitate Ruſſorum Religionis.

7. Peregrinationes crebras ad exteros eſſe nocivas ob periculum Novitatis & ſubvertendi moris Patrii [atque ideò Matrimonia, Contractus, aut quodvis familiaritatis commercium privatorum cum poſtlimitaneis, periculoſum publico ſtatui, nam transferunt ſæpe (in exotica) affectum civium, imò ipſa ſtudia.] Ac vereor ne tandem (ut præ foribus malum adeſt) ea in externas gentes viſendas curioſitas, nobis Polonis ſtatum peſſundet, cùm enim prudentiam experientiâ quadam ſolidatam peregrinando obtendimus, verius contagione exterorum corrumpimur, admirationi externa ut molliora, noſtra odio habemus, nec ſolidam prudentiam ea migratione acquirimus, ſed varietate confuſi, in res novas acuimus conceptus, & curioſitati ſtudemus, non rei. Polonia verò niſi Polonicis mediis & conſiliis ſtare poteſt, aliunde advectitia, uti non congenita ſunt, etiam convertunt ſtatus naturam. Plurimas item linguas callere (modò Latinam pro lectione librorum

exci-

excipias) garrulitatis verius eſt quàm rationis, verùm quod in rem dicendum cadit, nativâ ſcire eloqui & probè conſulere linguâ, uti bonæ prudentiæ, etiam recti civis officium eſto, aut ſi exotica ad rem conferunt? habes populorum annales, cape Geographorum tabulas, cum libris exterorum converſeris, non cum perſonis, non quod illic ſuccedit, ſed quod pro natura tui populi valeat? in rem judiciosè accommodaturus.

8. Peregrinos non eſſe in Rempublicam admittendos, tam in militiam, quàm ut Civitate donentur.

9. Multorum populorum fœderibus implicari, non eſſe tutum Reipublicæ.

10. Infimam plebem non eſſe tutum armis exerceri.

11. Utiliuſne ſit Reipublicæ, quæ cum milite & campo potens eſt, fortalitia non exſtruit.

12. Quid præſtat? an exercitus paratos habere media in pace in caſum belli, an paratum ærarium habere pro conducendo milite, verùm illud probabilius, ſaltem pro retinenda militari arte, quàm non tam facilè excitaveris, quàm ſuppreſſeris.

13. Utiliuſne imperatur Provinciis, ut paratum militem ſubmittant, an tributa.

14. Ingens & latum imperium eſſe æquè incommodum ac nimis modicum.

Ideóque utilius esse defendere suas Provincias (prudenter administrando) quàm parare novas etsi occasio adsit. Imperii Romani magnitudo tum collapsa cùm magnitudinem suam sustinere non posset, Veneti durant in longum, vel sola jurisdictionis mediocritate, non enim insolescunt.

15. Nimisne artibus erudiri incolas præstet an mediocriter? verùm hoc probabilius, nam verè isti scioli, jussa legum interpretari malunt quàm exequi.

16. Præstat Nobiles sua Castella & rura inhabitare separatim more nostro, quàm ut Civitates passim incolant more exterorum, neque enim vitiis, neque factione miscentur separati.

17. Quomodo Turcarum potentia possit infringi? quibus modis? fœderibus? terra aut mari, peditatu aut equitatu.

18. Quomodo procurare debeat Respublica fortunam privatorum civium, recidendo modos qui enervant per luxum fortunas, & suppeditando quibus augeant, qui varii sunt, alii in Nobilibus, alii in plebe, pro ratione status, & quales?

19. Conducibilius Reipublicæ, cùm cives communibus armis eam defendunt, quàm dum per omnia conductitio milite bellatur. Sic bellare Scythas, ideóque ab orbe primo bellicosissimam gentem haberi.

beri. Sic etiam Turcas, unde plerisque esse terribiles. Poloni etiam quoadusque communibus armis (hastati præsertim) bellabant, fortissimi habebantur, esse ipsi fortes, quàm videre alios malebant, ex parva, magnam Rempublicam effecerunt.

20. Eas gentes præstare artibus bellandi, quæ in pedestri militia plus roboris ponunt, quàm in equite. Licet verò Polonorum equites hastati plurimarum gentium equitatui antecellunt, sed quia negligentius transitur militiæ pedestris cura, aut cùm ea conductitiis peregrinis committitur, vidimus hodie in deterius aliquoties inclinasse rem Polonam, vel cùm peregrini non tam ex fide agunt, defraudatores ærarii verius, quàm ut alienæ Patriæ periculum ex vero impendant, imò ad cognatos sibi hostes sæpè transeunt, vel cùm in locum cæsorum, non facilè novi substituantur, quia passim domi exercitati non habentur; superaddo quod maximum, quia per occasionem pedestris militiæ (ab externis Germanorum Præfectis hæresi ut plurimum infectis) substituendæ, nova fidei dogmata periculosè in Poloniam irrepunt, aliquando (ut suspicor) Nobiliorum Poloniæ urbium religionem veram in Deum, tum fidem tandem in Rempublicam vacillatura.

Sum-

Summo igitur bono rei Polonæ, pedestris militia in Polonos invehatur, ut Legionarius, Decurio, & Præfecti, sint natione (imo etiam *veste*) verè Poloni. Quod facilè sit assequi, in ea populositate Provinciarum & numero ingenuæ Nobilitatis, si Princeps eò studiosè trahat & belli Duces; duas tresve Prætorias cohortes substituendo, in quas soli Poloni cives legantur, ex ea velut militari schola, non inutiles pedestri militiæ, & bello in universum prodituri.

21. Diutina pace emolliri incolas, juvas ideò aliquam fortem gentem prudenter habere in hostilitatem, ut sit cos virtutis populi, item ut extraneus metus alat domesticam concordiam. Ex eo Cornelius Nasica censuit parcendum Carthagini, ne felicitas urbis Romanæ per otium (sublato metu) luxuriaret, prout factum postea.

22. Amorem Reipublicæ seu boni publici virtutum esse maximam, omnia ideò inferius in humanis esse habenda, Parentes, conjugem, liberos, fortunas, vitamque ipsam, in exemplo Curtii, Mutii Scævolæ, Deciorum, Manlii Torquati, Pauli Æmilii, & recentiorum quorumcunque.

23. Diversos populos facilè posse in unius Reipublicæ corpus convenire & retineri, si eosdem mores, habitum, religio-

gionem, Comitia, leges, linguam, & ærarium admittant communia. Nam ſi aliquo horum deſcrepabunt, infirmo & brevi duraturo nexu eos teneri, ut data levi occaſione ſeparentur. In Roxolanis ſola ſchiſmatis Religio à nobis diſcrepat, licet cætera eadem ſint, tamen quàm facilè diſunionis oritur ſæpe materies? In Pruſſis & Livonibus, veſtitus, lingua & religio à nobis diverſa, inde quàm faventiores exteris & ſibi ſimilioribus. Ideò in quaque Republica curandum prudenter, ut hæc omnia eadem ſint in populis, ſub unius Reipublicæ nomine latentibus, at quomodo eadem ſimilitudo inducenda? ſuggerendum; Vel ſi adnectere placet, leviſſimum eſſe inter Polonos Lithuanoſve diviſionis momentum, quod hi ærarium ſuum in parte habeant, tum ſub aliis belli Ducibus militent, & quoſdam publicos adminiſtros ſeperatim admittant. Tamen ingens ſæpe Comitiorum difficultas oboritur, cùm illi noſtra negligentius tranſeunt, ſua ſtudioſius tractando.

Vigeſimam quartam (inſuper) quæſtionem adjicere placet, videlicet; ubicunque gentium rigor Juſtitiæ ex æquo adminiſtrandæ; tum (maximè) Religionis & cultus Divini cura deſiit, primò ambitionem ortam, dein ex æmulatione diſcordiam, tum oppreſſionem minorum, civiles

viles turbas, externa bella, converſionem præſentis ſtatus, populorumque ipſorum ſubſecuta excidia, ut ideò nulla alia major cura ſubeſſe debeat bono Principi & populo Rempublicam in longum ſtabilituro, quàm retinendi cultus Divini & publicæ Pietatis propagandæ, in Cive, in Milite, in Patricio, in Plebejis, & utroque per omnes ætates ſexu.

ALTERA LECTIO.

Architectura Militaris Offenſiva & Defenſiva. Ad Normam recentiorum, cum Geometria Linearum, ſuperficierum & Cubica.

HUjus lectionis ea ſit praxis, ut primo *Menſe* omnes ſpecies Arithmetices explicentur, cum ſupputatione Oeconomica per calculos. *Tribus ſequentibus Menſibus* ad calamum tradatur Geometria triangulorum, cum adinventione linearum, in praxi longitudinum, latitudinum, altitudinum, profunditatum; per tabulas ſinuum tangentium & ſecantium. *Vnus ſequens Menſis* detur Planimetriæ & Geometriæ Cubicæ, tum praxi conſtructionis Aſtrolabii ſeu inſtrumenti Geo-

Geometrici, sibi enim delineare non aliunde instrumentum petere, magnæ loco commoditatis erit.

Jam Architectura Militaris in omnibus casibus munitionum, defensionum, offensionum, accessuum, recessuum, tradatur *Mensibus quinque continuis*, opportuniori tempore, ligone & manu practicando. Reliquis Mensibus erudiatur practicè juvenis, (quæ est prima & maxima bellorum tum qui illis præsunt virtus) *pedestri exercitio militari, seu legionari*, recedendo, sequendo, instando per ordines, ad dextram, ad sinistram, ante, retro, volvendo ordines & integram cohortem aut legionem, tum instructio integræ aciei per diversas formas & casus inducatur, per delineationem & notas in tabula aliqua, aut per lignea (quod præstat) equitum peditumve simulachra; Qua parte hastatus, qua ferentarius eques locandus, qua pedester miles? ut extant varii variorum in ea materia libri & delineationes. Interim obiter (pro commoditate temporis) non vitiabit insinuare, de arte fusili & libramentis da metam machinarum muralium.

Qui negligentius transit pedestris militiæ curam, bellare nescit.

Ne tamen intermittatur inter armata exercitia studium privatæ lectionis, primo medio anno privatim legatur Curtius de rebus Alexandri Magni, Julius Cæsar, Sallustius, Philippus Cominæus; Tum altero,

altero medio anno Livius Romanæ Historiæ, Polybius item, qui (præsertim in bellicis) mirabilis scriptor est; tum Famianus Strada de bello Belgico, & illa recentior Historia de gestis Polonorum sub Henrico Valesio. Nam Historia vera Magistra bonæ prudentiæ, tum militaris, tum togatæ, in hac velut in scena, Regum, Principum, Senatorum, Civium, Heroum, Belli Ducum, Præfectorum, militum exempla producuntur, prout alicui successit vel non, alieno periculo & impensa per compendium eruuntur consilia pacis, belli, fœderum, præliorum, secundæ tum adversæ fortunæ eventus & remedia suggeruntur. Sed circa lectionem Historiæ perspicacitate opus, ut si exemplis in rem tuam uti velis sequendo, non præceps sequaris prout legisti, sed circumstantias rerum, personarum, loci, temporis, occasionum (imò etiam *fortunæ* quæ pro libidine sua magis, quàm ex vero res agitat) tum necessitatis, possibilis, utilis simul & honesti, demum mediorum ad finem consideres; imò in iis pernoscendis planè lynceus sis, ne rei successus te fallat, neque uni exemplo alligaberis prout legisti; Nam verè prudentes alias viros, verùm in eo incautos decipi vidi ego & plures, præsertim circa bellica, cùm aut per omnia cunctatores Fabios, aut per omnia ardentes in prælia Scipiones præ oculis

oculis haberent & naturam imitarentur; in quo graviter fallebantur. * Nam ſi vel Scipio tum bellaſſet & ruiſſet in arma, cùm Fabii cunctatio furentem Annibalem eludere opus habebat, vel Fabius cunctationem ſuaſiſſet, cùm aut periculum parabatur ex mora Scipioni, aut bellorum ſtatus cunctationem non pateretur, ſed potius valeret in eas gentes (ut ajunt) *furia*, uterque bello graviter erraſſet. Per diverſa igitur tempora & rerum circumſtantias (iiſdem licet in caſibus) diverſis tamen exemplis Hiſtoriarum & conſiliis utendum erit ſequendo; Conſiderandum ſuper hæc, an (cujus exemplar ſequeris,) fortunâ magis quàm conſilio res ſucceſſit, ne aut Temeritas Audaciæ nomen imponat, aut Crudelitas, Rigoris & Diſciplinæ, aut animi mollitia ſeu Conniventia Clementiæ, aut Prodigalitas liberalitatis, aut ſuperbia gravitatis, aut incauta tum improvida Fiduciæ, aut ignea novandarum rerum mens Perſpicacitatis & boni zeli, demum levitas Affabilitatis, tenacitas Parſimoniæ, ignavia Modeſtiæ, curioſitas Neceſſitatis, facilitas Humanitatis, metus otium, & faciendi inertia, Cunctationis nomen habeant, verbo dicam, uti Medici iiſdem licet in morbis pro natura febricitantium varietate medicamentorum, ſic tu Hiſtoriarum exemplis tum conſilio,

Non te cunctatorem naturâ, ſed cunctatorem conſilio (prout res poſcit) volo.

pro

pro tempore & occaſione in rem tuam laborabis, non prout legiſti, ſed prout rectè accommodantur. Verùm illud ad utilitatẽ Hiſtoriæ obtinendam, præ omnibus valeat, ut domeſticis ſcriptoribus potiſſimum immoremur. Nam verè mirari licet moderni temporis quorundam ingenia, cùm per exterorum inſtituta & mores vagantur, quò longius ſunt à notitia rerum Patriarum, tum à majorum geſtis, etiam remotius à rectè ſuadendo abſunt & confundunt verius non in rem conſulunt; Fatear quidem venuſtum eſſe narratione Livium, utiliorem nobis tamen Długoſſum aut Cromerum; magis curioſum in res abditas Principum Cornelium Tacitum, ſed magis ad notitiam Polonam convenientem Orichovium, diſertum è Neotericis Famianum Stradam, aut alios exoticorum; verùm plus nobis conferre ſcriptores noſtrates, dum domeſtica nobis loquuntur, bona aut mala, caſus, & pro natura rerum remedia, prout ſucceſſere, aut ſecus prout improbabantur; aliena ſcire, vitioſitas eſt, ſua verò, neceſſitas; nam ad rem magis conferunt. Curioſum fatear audire res geſtas Scipionum, Pompejorum, Juliorum-Cæſarum, ſed gratius commemorare facta noſtrorum Boleſlao Krivouſtorum, Batoreorum, Vladiſlaorum, & aliorum magnorum Regum; Miramur amorem

in

in Patriam, tum merita civium Romanorum, Brutorum, Fabiorum, Catonum, verùm lubentius audimus, amplexamur, imò ad imitandum accendimur, audiendo familiaria noſtro genio facta Oleſniciorum, Tarnoviorum (& ne multos narrare opus ſit) Zamoskiorum.

Appoſita reliqua obiter ſtudia, quibus juvenem erudiri præſtat.

ORATORIUM STUDIUM.

ORationes diverſorum Authorum Hiſtoriis inſertæ, *Primo medio anno* explicentur, & memoriter addiſcantur, prout extat volumen Orationum excerptarum ex Hiſtoriis (Curtii, Salluſtii, Livii, Taciti) tum *altero medio anno*, Ciceronis Orationes legantur cum obſervatione eruditionis & ornamentorum, à figuris Rhetoricis, quarum præcepta ad calamum tradantur. Dein periculum faciendum erit in ſtylo, ut propoſita non vulgari materia, Oratio componatur Chriæ in modum, quatenus acquirat juvenis praxin dilatandi materias, à ſimili, à contrario, ab exemplo, ab emblemate, ab honeſto, ab utili, tum vel maximè à natura ipſius

ipſius rei, per omnes illas circumſtantias *Quis*, *Quid*, *Ubi*, *Quibus auxiliis*, *Cur*, *Quomodo*, *Quando*? & aliis omnibus, quorum materia Orationis dilatando ferax eſt, movendo, docendo, delectando.

Sæpius etiam pro vernaculæ linguæ politiori ſtylo & cultu, difficiliores orationes aliquæ, aut potius compendium Hiſtoriæ Romanæ Annæi Flori, vernaculâ linguâ ſine circumlocutione verti jubeatur, ſæpius enim cuique contigerit vernaculo ſermone, in negotiis privatis & publicis, in demonſtrativo, deliberativo, & judiciario genere verba facere in Patrio ſolo verſanti, ideóque turpe ſit pro decore Latiæ linguæ ſic contendere, ut Patrius Polonus ſermo negligentius habeatur, qui (præſertim) ſi breviter dicere velis? ſuccinctè nervoſus, ſeu ornatè eloqui contendas, venuſtè verbo & ſenſu dives eſt. Pulchram verò brevitatem ſcribendarum literarum, *Centuriæ Juſti Lipſii Epiſtolarum*, legenti ſuggerent.

ETHICES STUDIUM.

PRofectò Oratori neceſſarium ſit, virtutes vitiave hominum noſſe, prout intendantur aut remittant, quod à præceptis Ethicorum facilè quisque diſcet, tum à proborum authorum, præſertim verò

Se-

Senecæ lectione, de Ira, de Clementia, de Beneficiis, de Consolatione & plenè toto aureo volumine, maximè verò Plutarchus in suis Parallelis de Vitis illustrium virorum, scenam quandam bonarum virtutum contexuit, quem legendum suaserim, præsertim verò vitas Fabii Maximi, Pompeji, Cæsaris, Phocionis, Catonis Minoris, si in cæteras legendas piger aut distractus sis. Sed certè uti in aliis, ita in hoc de virtutibus Ethices studio, audacter Senecæ verbis effari debeo: *Quia studiorum etiam intemperantiâ laboramus, nec vitæ sed Scholæ discimus*; imò leviore periculo staret eo gradu malum, si tantùm Scholæ, si ostentationi disceremus, sed verè acuimus plerumque artibus animum, ut eo beneficio ingeniosius in Patriam, in Proximum, in Deum peccemus. Ille sua Politica studia stabiliendæ rei privatæ, ruinâ status publici aptavit, specie boni publici avaritiam & libidinem obtegens, hic jurisperitiam non succurrendo miseris, verùm subvertendo insontes ditavit, linguæ & conscientiæ venalis. Ille eloquentiam aut superbæ ostentationi (prostituendo artium munera) aut æmulorum ruinæ commodavit infensus, eruditus ore, animo subdolus, ut vel insipientia prosit dum sic nocet addiscere. Nulla igitur sapiat mihi sine virtute doctrina, nec placeat

ſchola in qua non diſcitur virtus, ut etiam tu (ſi ad veram doctrinam aſpiras) vel maximè (imò prius) ad virtutem, aut per ſtudia, aut ſimul cum ſtudiis eluctari debeas, medius inter Tacitos, Livios, Salluſtios (aut quicunque illi ſunt profanorum) mentem & oculos ad illos altioris ſpiritus monitores diverſurus, qui te ſuis præceptis ad virtutem forment, non diſputabilem aut ſpeculativam, ſed practicam & verè divinam; ut enim continua Politicorum lectione non fit, ut non doctiores quotidie evadamus, etiam ſpiritualium uſu, abſtrahamur per modica à vitiis, formemur neceſſe ſit in meliores. Non verò (abſit) multis voluminibus te gravabo, duobus parvis contentus, *Niceta Drexelii* uti faciliori primum: dein *Thoma à Kempis*, qui loquitur in ſpiritu; quos legendos tibi ſuadeo, nec legendos ſolùm, ſed quod illi ſuadent virtutis, aut diſſuadent vitii ſequendos. Inde pro virtute facilior tibi primùm doctrina, dein matureſcenti obvius honor, & ditior (ſed quâ non corrumparis) fortuna; ſuccedet toga, ſagum, liberi, familia; non enim tantum cucullo opus habet, ſed reperit in molliori toga (ſi modeſtè utaris) quod ſibi æquè placeat bona virtus; imò ex virtute (ſi illa æterna Politicus hic calamus loqui audet) dabitur, ad quam nos æternus Pater condidit, vel

vel nisi cui soli juvat vivere; non moritura desinenti vivere, Vita.

PHILOSOPHICUM STUDIUM.

NOn dissuaserim cuique, imò suaserim omnino, studio Philosophico fundamentaliter immorari, verùm si operosum nimis esse videatur, saltem sufficiat ad civilem vitam se præparanti, (aut omnino necessarium sit, ad perpoliendum naturale judicium) præceptis Dialecticis imbui. Dein percurratur Philosophia naturalis, saltem ne miremur naturæ miracula, Grandines, Terræ motus, Tonitrua, Cometas, Irides & Imbres.

De reliquo accipe vetus dictum.

Non qui multa, sed qui fructuosa scit, sapit.

Tum illud alterius.

Justa est sapientia, non plus quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.

VII.

HASTATUS EQUES PRÆSTAT EQUITI FERENTARIO.

Tum obiter ſuggeritur, Arma quæ Cominus *feriunt, multò præſtare illis, quæ* Eminus *nocent.*



On grave ſuggerere, quantùm haſtatus eques præſtet equiti ſclopetario. Nam indignor ſæpe, quantoperè non fallantur modo, ſed injuriosè maxima militaris roboris parte exarment Poloniam, qui audent ſuggerere, in eo ſcloporum uſu qui nunc eſt, importunè haſtis bellari. Quàm ſcitè bellatores iſti, de Ginæcei mundo potius quàm de militum armis aut diſputent, aut judicent, non arcus, non ſclopi, non machinæ murales, aut quidquid in necem hominum aut terrorem belli adinvenit Machinatorum ars, ſed adhuc magis ingenioſa miſſilia in uſum armorum producantur; nunquam tamen prudens bellator

tor (licèt ne illa quidem planè damnet) ſuum militem gladio, haſtave exarmabit, quæ cominus eóque certius feriunt. Eventus ipſe qui eſt imperitorum Magiſter, loquaces iſtos ad menſam bellatores arguat, ne verò à memoria Parentum noſtrorum longius abducantur, compendio rerum geſtarum videant, & tandem probent.

Zboroskius in Boruſſia, ſub Stephano Rege, aliquot millibus Gedanenſium (ſeu Dantiſcanorum) unica parva legione (quæ promptè ad manus erat) non tantùm obviam ire auſus eſt, ſed hoſtem apertâ pugnâ adortus, planè delevit, Duceque ipſo (quem Gedanenſis Magiſtratus à Germania cum veteranis legionibus ſubſidio belli conduxerat) necato, contumaces ſuo Regi ſubjici & parere docuit, eò humilius, quò ſuperbius in aciem progrediebantur. Nota ſiquidem ſuperba militis Gedanenſis vox, cùm enim extra urbem in campum ad conferendam pugnam explicatis ordinibus duceretur, ac fortè in tranſeundo, per licentiam (venum expoſitos) panes in obvia platea rapuiſſet, ob idque illachrymanti mulierculæ, ſolito faſtu reſpondit: *Sileret paululum interea, pro quolibet pane, totidem captivos Polonos ante veſperam receptura.* Conſtat verò non perpaucos Dantiſcanorum, lora & funes vinciendis noſtris ſecum in aciem paſſim tuliſſe, quibus reci

proca ſorte ipſimet erant vinciendi, prout factum.

Joannes Zamoskius, Archiducem Auſtriæ Maximilianum, per ambitum inſerentem ſe in jus electi Poloniæ Regis Sigiſmundi Tertii, & invitis Polonis imperare armatum volentem, primò denſis armatorum agminibus venientem, intra Poloniam non leviter afflixit, dein turpiter verſus Auſtriam retrocedentem, uſque in Sileſiam proſecutus, ponè oppidum *Bicynum*, minor numero verùm virtute ſuperior, prælio fudit, & captivum victor manu ducens loco purpuræ, utique honeſto carcere (pro Imperialis ſanguinis Majeſtate) in arce Craſnoſtavienſi, ex authoritate Reipublicæ biennio decoravit.

Carolus Chotkievicius in Livonia, ad *Kircholmum* tribus millibus noſtrorum, quindecim millia Suecorum, ſtatariâ pugnâ fudit, ſeptemve millibus hoſtium (quod certè conſtat) in acie proſtratis, Carolum *Sudermaniæ* & belli *Ducem*, ante paucas horas ſpreta prius paucitate, mox haſtis noſtris illudentem (dum contos aut fuſtes appellaſſet) in proximas littori naves turpiſſimè fugientem idque ſaucium vidit, cùm è ſuis Polonis, non plures quàm nonaginta viri (miraculi loco inſtar ſit) póſt prælium deſiderarentur.

Recentiori memoria *Zulkieskius*, intra Mo-

Moschoviam, contra *Pontum de la Garde*, supra viginti millia militum promiscuè è Gallis, Germanis, Suecisve, ære Moschorum conducta ducentem, ad impediendum ne illa subsidia Moschorum exercitui jungerentur, cum quatuor equitum millibus (ac perpaucis peditibus) obviam processit, & memorabili vicit prælio. Deinde reliquo ejusdem belli successu, ipsummet *Suiskium* Magnum Moschoviæ Ducem, cum duobus fratribus Germanis in triumpho victor duxit, Sigismundo Regi ac senatui præsentandum.

Atque idem *Zulkieskius* à Septentrione in Orientem transferens arma, contra Turcas & Tartaros in Valachia, fortè speculatorum deceptus fide, neque satis de hostium numero edoctus, septem millibus veteranorum, contra centum circiter hostium millia, incautius ad *Ceceram* (victor tamen) conflixit, dumque ab eo prælio imparem se omnino sensit tantæ multitudini ulterius resistendo, cinctus carragine, ambulatoriis castris, octo dierum totidemque noctium, (seu triginta magnorum milliarium) itinere, retrò unde venit ex illa Harybdi subducebat suos, eo in receptu victori simillimus, cùm noctu diuque tota vi armorum incubantibus Turcis, jam ad impediendum somnum in speciem tantùm sublato clamore adequi-

tantibus, jam non rarò quæque arbuſta & herbas (quà noſtris eundum erat) partim igne abſumentibus, partim denſo calcatu equorum atterentibus (in damnum pabuli quo maximè noſtratium equi premebantur, neque alia daretur ejus acquirendi copia, quàm quod ipſe caſu deprehenderat itinerando caſtrorum locus) inter eas anguſtias, ſimul in defenſam opponenda erunt arma, ſimul per valles, arbuſta, paludes, interruptis caſtris & carragine eundum erat. Sed quod magis illud mirere, cùm enim aliquando oppoſitu caſtrorum Turcicorum iter *Zułkieskii* ſiſteretur, factum, ut ille ex inſperato recta in illorum obvias ſtationes ſuam ducere imperaret carraginem, ut partim expanſa tentoria, partim cibos ad focum relinquere Turcæ cogerentur. Sic ergo *Zułkieskius*, & ſui labore infracti, ad extremum victores evaſiſſent, ſi nonæ adhuc diei non jam laborem, ſed imperium Ducis, & ordinem ſervaſſent; Deſperabundi etenim Turcæ & Tartari de victoria, & ipſi inſultando feſſi, cum pudore in partem retroceſſerant, ſpeculatoribus modò à longè relictis, in obſervationem noſtrorum. Cùm igitur nullus appareret hoſtis, jam fiducia inter noſtros oriri, exinde verò ſitis, fames, laſſitudo, & ſuper omnia ſomnus defeſſos premeret, item alii negligen-

gentius contra imperata Ducis ex obtentu laſſitudinis agere, alii incubare ſomno, alii tumultuari, reliqui carraginem contra præſcriptum ordinem (quod præſertim per inſolentiores lyxas factum) diſtrahere ceptabant. Tum primum per ſpeculatores de tumultu edocti Turcæ, noſtris inter ſe mutuò colluctantibus ſupervenêre, atque diſtractam pervadentes carraginem, non vicêre paucitatem, ſed planè multitudine oppreſſêre. Major pars noſtrorum tumultuariè pugnando cæſa, plurimi capti, nonnulli (unde pervigilem laſſitudinem obſerva) profundè indormientes deprehenſi, ut ſine ſenſu captivitatis, vix poſt aliquot horas in manibus hoſtium (ignari quò gentium verſarentur) evigilarent. Dux ipſe *Zulkieskius* ſaucius equo, inſtantis fati providus, Catholico ritu (pius uti erat vir) ad expiandas Sacramento Confeſſionis noxas, ſacerdoti qui ad latus ejus erat opportunè, carptim adgeniculavit, dein accurrenti quodam tribuno, & equum ſibi ad effugium porrigenti, ictu gladii equum abigens. *Inglorium* (inquit) *pereunte exercitu, armorum Ducem fugere*; mox inter confertos hoſtes ſtricto gladio procurrens, ignotus quiſnam eſſet occubuit. Sic ego ingenuè uti vincentem *Zulkieskium*, etiam cadentem recenſui. Cujus enim aut Imperatoris, aut militis

triumphalior victoria esse potest hujus exercitus clade? aut quis fortius vicit? quàm hic animosè periit, vincendo aut occumbendo æquè vir, recenseant alii victorias, ego eam cladem, loco magni triumphi pro gloria gentis justè opponam.

Septies centum millia Turcæ numerabant, sed verè eum calonibus & lixis crediderim.

Anno post eam cladem exacto, *Bello Turcico ad Chotinum*, *Osmanum* Constantinopoleos Imperatorem, * quatuor centenis millibus militum debellandæ Europæ incubantem, quantula pars nostrorum à Polono arcuit limite? scientibus non est opus dicere; In cujus victoriæ memoriam, Papa Gregorius XV. diem decimum Octobris, perpetuo festum esse Polonis jussit, & quod majus ad ornamentum triumphi conferat, inaudito antehac Machometanorum exemplo, cùm ad superstitionem usque Imperatores suos Turcica gens semper adoraret magis quàm veneraretur, tum verò reducem ab illis castris Osmanum, uti infausti in præsens belli authorem, etiam infelicis in posterum regiminis mala ominà secum deferentem, sicaria manu adorsi, è vivis sustulêre.

Et recentius adhuc in Moschovia Rex Vladislaus IV. *Sechinum* octuaginta armatorum millibus (partim Moschorum, partim externorum è Suecis & Germanis) armatum, primùm prælio cruento afflixit, deinde aperto interclusit campo, cùm qua-

quadruplo plures essent obsessi, obsidentibus, ut non modò pacem petere, verùm dedere se cogerentur, illam raram ex orbis victoriis & triumphis Vladislao tenente lauream, cùm victus exercitus (ô triumphale speculum) sub Vladislai Regis victoris pedes, militaria signa seque abjiceret. Prodibat primùm *Sechinus* victus armorum Dux, deinde minores per gradus Præfecti, tum integer equitatus peditatusque legionatim, asstanti in triumpho Regi, signa primùm, arma deinde, sub arbitrium Regis victoris substraturus, ut depositorum armorum ingentes strues, ad pedes Vladislai conspicerentur. Quæ absit non ad fastum arroganter, sed revera *Ad gloriam MAGNI DEI, Domini exercituum, & sanctissimæ Matris Dei virginis, propitiæ Polonorum Advocatæ, dicta sint.*

Hæc igitur vix supra medii sæculi gesta carptim recensita, & alia plura, portenta verius bellorum quàm bella, si recenseantur, ubique uti initium victoriæ, etiam summam commissi prælii, penes hastatos fuisse certum est, ut quod nostrorum paucitati deesset, ab horum virtute suppleretur.

Et hæc ipſa Praxis loquitur. Jam tandem ratio nos doceat.

QUicunque miles, ſeu gladio ſeu haſtâ aut quocunque genere armorum ferit, n[illegible] [illegible]ter in bello uſus eſſe poteſt, quàm ut [illegible] eſſe habeat proximè hoſtem accurrere, pedem pedi, gladium gladio, virum conferre viro, ut eò magis cruentum Martem ſequi neceſſum ſit, quò audacius procurritur, quò acceditur propius, quò confertius pugnatur. Nihil verò belli Dux in bono milite amplius requirat, quàm ut hoſtem quàm proximè poteſt aggredi non trepidet, inde victoriam affuturam ſperans, unde alacrius procurritur, ſed haſtatis non alia pugna eſſe poteſt, quàm ut in faciem hoſtium denſis ordinibus ſe ingerant fortius, non aërem miſſilibus (ut ajunt) ſed hoſtium latera cominus verberaturi; ſecus verò eminus ferientes, uti à longè in hoſtem ſeu tela ſeu globos plumbeos jaculari poſſunt, minor etiam adeſt illis ad accurrendum neceſſitas, & velut ſatis officio pugnæ datum ſit, ſæpius à longè jaculando, ferè non ultra contendunt, vexando & terrendo magis quàm feriendo, imò potius ſe defendendo,

quàm

quàm offendendo. Adde, quia pro natura ſclopetorum eminus ferientium, niſi certum ordinem per decurias accedentium & retrocedentium obſerves, non probè neque ſcito armorum uſu confligas oportet, ut vel ideò non animosè in hoſtem procurrere, ſed quaſi lentim adrepere neceſſum ſit, quâ morâ partim fervor militum evaneſcit, partim terror prælii paventibus lentè inculcatur, ut confundantur, dum aut ſuos fortè cadere vident, aut aciem hoſtium in terrorem diu ſpeculantur, quod prima ſæpe abrumpit (ut ajunt) *furia*. Atque eandem cauſam cladis Pom pejanarum partium recenſet Plutarchus in vita Pompeji. *Pompejus primam aciem tuentibus mandavit, uti loco perſiſterent, impetumque hoſtium conſtanter reciperent: Quod conſilium victor Cæſar reprehendit, nempe ictuum violentiam, quæ excurſu intenditur, retudiſſe eum, præterea impetu illo (qui impetus inter excurrendum in hoſtem pleroſque incendit, & quaſi furore quodam incitat, ac cum clamore & curſu ardorem pugnandi auget) repreſſo, animos eum ſuorum refrigeraſſe.* Neque illud dicendum prætereo, ab illa natura eminus feriendi, quò tardius itur in hoſtem, eò majus tempus ad reſumendas vires ad providendum ſibi, & latera firmanda hoſtibus poſſe concedi, ut eò facilius reciprocis ab adverſo miſſili-

bus lentè adverſus ſuccedentes feriant. Jam verò cominus pugnantibus non idem mars eſt, ſimul enim procurrunt, ſimul hoſtem aggrediuntur & feriunt, haſtati præſertim, quorum duplex ubique impetus atque vis eſt, namque primò longiori haſta protrudendo turbant frontem hoſtium, tangendo prius quàm ut tangantur, deinde confertis manibus, veluti novam iterum vim illaturi, ſeu gladios ſeu ſclopos expedierint, utriſque cominus hoſtem è proximo feriunt. Et quia cominus feriendo viſibilis ictus eſt, ſi priori erraveris ictu, altero corrigas facilè ex animadverſo, quod eminus non datur, imò *eminus* feriendo, quia *Volans* ictus eſt, ferit, nec tamen hoſtem retrudit, ille verò alter *cominus*, *Tundens* ictus eſt, & quaſi *Solidus* ut ſimul feriat, ſimulque retrudendo ſiſtat hoſtem procurrentem, & magis turbet adverſos ordines, dum unus alteri hærendo implicantur, remorantur. Sed tandem ut verbo claudam, jaciendo miſſilia, aut in colimatione, aut in ipſo armorum genere plures defectus dari poſſunt, rubigo, humor, intemperamentum pulveris nitrati, onerandi & exonerandi non prompta peritia, fiſtulæ curvatura, ſilicis durities, & alia plura, à quibus impedimentis cominus ferientia procul abſunt, præſertim verò gladius, quo crebrius repetitis in momenta ictibus, non

in

in ſpeculatione colimandi, ſed quod præſtat in praxi, nullo inſtrumenti defectu ferias, & quia non in puncto, verùm noſtro more (velut in linea) cæſim ferit, ideóque latiore ſpatio offendit. Gladius igitur (ut gladii & haſtæ uſum confundam) non atteritur uſu, nec deficit à ſeipſo continuè feriendo, & quò minùs expeditus ſit, nil niſi manu viri opus eſt, ſecus verò, plumbum, pulvis nitratus, opificis perfecta ars, inſtrumenti certitudo, ſiccius temperamentum aëris, ſi deſit ſuæ pixidi, ferè nullus ejus uſus eſſe poteſt. Nunquam igitur gladio, nunquam haſtâ exarmandos equites cenſebo, qui verò aliter cenſuerit, otii non belli peritus, caſtra Ducibus belli, & ſua militi arma quietus relinquat.

Sed tamen opportunè inceptum claudam dicterio *Abazyi Baſſæ* Turcicarum copiarum Ductoris. Cùm enim anno Dei Nati MDCXXXIII. ſeptuaginta millium exercitu juſſu Conſtantinopoleos Imperatoris, Poloniæ fines intrâſſet, atque præter omnem opinionem noſtrarum virium (bellabatur enim tum temporis à Septentrione contra Moſchum totis viribus armorum) *à Koniecpolskio* belli Duce animosè repulſus, retro in ſuam Turciam abire cogeretur, ob idque aut inſcitiam bellandi, aut ignaviam exprobranti ſibi Imperatori, imò carcerem & gladium in

pœ-

pœnam minitanti, reſpondit: *Ignorare mihi videris Imperator, quàm ſit aſperum ab armato Polono extorquere victoriam, non numerus inibi ſed viri pugnant, ineſt verò illis quoddam genus militiæ Huſſarorum equitum* (haſtatos putabat) *quibus eam eſſe ſcito in armorum Præfectos obſervantiam, ut hunc quem vides urbis murum* (fortè verò inter colloquendum è feneſtra Palatii verſus mœnia civitatis proſpiciebat Imperator) *ſi haſtis ſuis quatere juberentur, neſcio an non ſuo illum emoverent haſtis loco.* Indignabundus dictum accepit Imperator, & licèt ad tempus iram diſſimulaſſet, ſed tandem ſuetâ Turcarum pœnâ, eliſis faucibus *Abazyum Baſſam* ſtrangulari juſſit.

VIII.

VIII.

LINEAMENTA HUMANÆ MENTIS.

Rationis humanæ partes ſunt, atque ipſius prudentiæ, quam in rebus humanis requirimus,

VIDELICET

1. *Ingenium*. 2. *Peritia*. 3. *Judicium*. 4. *Moderamen, id eſt*, Rector.

PRIMA RATIONIS Pars INGENIUM.



Ngenium habet in poteſtate 1. *Inventionem*. 2. *Subtilitatem*. 3. *Conceptum*. 4. *Docilitatem*. Quibus ita ſæpe contrariatur *Confuſio*, ut non confundi, ferè quarta ſit recti pars *Ingenii*.

SECUNDA RATIONIS Pars PERITIA.

P*Eritia* venit partim ab *Experientia*, partim ab *Arte*. *Experientia* paratur ab *uſu*,

usu, aut crebra rerum *Consideratione*, aut à Conversatione peritorum hominum, aut ab antiquorum *Temporum notitia*, quæ sequitur, aut per longam ætatem, aut quod non attigit ætas, suggerit nobis præteritorum lectio, id est *Historia*, verùm hæc potius ad artem referenda, non ineptè tamen propter connexionem hic ponitur.

Jam verò *Peritia* ab *Arte* est, dum compendio quodam sciendi, accommodamus studia & Magistros.

Atque in hac secunda *Rationis* parte, (id est Peritia) omnia objecta quarumvis artium & sciendi versantur, per omnes status & ingenia hominum, sed hic loquimur de sola *Peritia Politica*, quæ est in *Toga* & in *Sago*. Nam alias imperfecta sit.

Peritia deinde quatuor modis nobis inest, aut enim rem in *Conceptu* tantùm, id est in intellectu habemus, invalidi aut exequendo aut eloquendo, (quibusdam enim Parens naturæ Deus magis promptam facilitatem dedit rectè sentiendi quàm eloquendi) vel scimus simul & *Facto* possumus exequi, aut de eo quod scimus dum loqui non possumus, *Scribendo* tantum enarramus, aut omnia simul assequimur, peritè *Intelligendo, Exequendo, Scribendo* & *Eloquendo*, idque unus altero melius, quæ est *peritia*, in rebus humanis præsertim verò in re Politica perfectissima.

Dein-

Deinde rem enarramus aut ſimpliciter, aut *Eloquenter*, idque Movendo, Docendo, Delectando.

Comites verò peritiei ſunt, ac eſſe debent, *Sedulitas* & *Promptitudo.*

Nutrix verò aut ipſa eſt omnino Mater, *Memoria* quæ ſi deſit, utique ſupplebit eam *Reminiſcentia*, ſedulitas, ipſaque ſui *potens Ratio*, quæ in præſentia judicii totum habet.

TERTIA RATIONIS Pars JUDICIUM.

JUdicium eſt recta diſcretio quædam boni & mali, falſi à vero, rectè perpendens quid fieri poſſit, quid non? Non ſuperficietenus rem introſpiciens, verùm à fundamento & quaſi ab intus, finem prius quàm media proſpiciens, Poſſibile, Utile, Honeſtum ſimul ſequendo, non in apparentia ſed in re, apta rebus ſtatuendis media quærens.

Comites item habet hæc optima Rationis pars, Gravitatem, Conſtantiam & Modeſtiam, quibus vel maximè contrariatur aut *Temeritas* aut *Levitas* aut *Meticuloſitas*, quam vulgares Politici inanem *reſpectum* vocant.

QUARTA RATIONIS Pars MODERAMEN.

ITa hæc quarta Rationis pars juncta est judicio, ut aut judicium sine Moderamine, an Moderamen sine judicio ineptum sit. Differunt tamen, Judicium enim rectè monstrat, Moderamen verò regit & exequitur. Dum *Animus* est potens sui, id est omnes affectus habens in sua potestate, ne nimis tepidè aut calidè rem aggrediamur, idque ad *Normam virtutis* quod omnino necessum est. Atque in hac ultima Rationis parte, sedem sibi vendicat *virtus*, sine qua inepta est ratio, imò ratio sit, sed in malum *Ingeniosissima*.

In hoc ergo veræ Rationis humanæ speculo quisque se videat, aut quàm multa sibi ad perfectam prudentiam desint, ingenuè fateatur, aut quoquo modo potest, in rectum reducat.

Fallimur verò, dum ambimus haberi prudentes, cum vix in prima aut in altera parte prudentiæ (neque id perfectè) hæreamus, vitio imperfectionis humanæ, ut quasi necessarium sit, cuique aliquid deesse, sed (ut reliqua absint) major tamen illis civibus ratio tribuenda. *Qui plus de naturali judicio & Moderamine habent, etiam sine multo ingenio & arte.* Quem verò

rò Deus optimus, ad illud culmen rationis evexerit, ut per omnes ejus partes versatus sit, eum inæstimabilem vocato virum. Nemo tamen ab orbe condito omni ratione perfectus, sed eum utique vocamus perfectum, qui minùs ex imperfecto habet.

Etiam in *Cicerone desiderabatur Constantia, in Catone Moderatio* (ut ait *Seneca*) uti verè Cicero hoc aut illud appetendo aut suadendo aliquando rem turbavit; Cato verò per immoderatum rigorem, perdidit Romanam Rempublicam; Cùm enim solo intuitu cujusdam speciosæ justitiæ & cæco amore virtutis, ardentius magis quàm consultius urgeret compescendum Julium Cæsarem, quem potentissimè armatum, erat quasi impossibile in ordinem redigere, armando in eum Pompejum, & simul incitando Senatum, primò civilibus turbis implicuit, mox libertatem Reipublicæ, suamque subvertit vitam. Ne Deus verò ipse, virtutum licet severus exactor, in sua Divina Politia, omnia statim ad rigorem vocat, alia enim paternè parcit, alia dissimulat, ne si in ea frugalitate humana (cui quodammodo errare licet) ad rigorem quæque vocari velit, dudum orbi intereundum esset.

IX.

QUI IN REPUBLICA PLURIMUM AGENDO VALENT?

Qui vult in Republica posſe, Authoritatem habere debet.

Authoritas perfecta conſiſtit: In familiæ decore: In fortunarum proventu: In prudentia.

Cui unicum horum deeſt (præſertim è poſtremis duobus) imperfectam authoritatem habet, nec per omnia Reipublicæ prodeſſe ſufficit.



Acilè trahas in idem ſentiendum multam cognationem, ſi non adſit tamen prudens incipiendorum & agendorum ratio, tum deſit amplior fortuna,

na, cujus reſpectu parentur amici & clientelæ, munerando, menſæ adhibendo, ac ut per omnia incipiendo & rem urgendo ſumptus affluat, crebrum deinde ducendo famulitium, nec inermia (ſaltem ad pompam) parando lateris præſidia, manca omnino ſit tibi authoritas.

Deinde pro perfecta Authoritate obtinenda, Prudentiam ipſam ſubdivido in *Togatam* & *Militarem*, quam requiro, ut non ſolum aliquis in publicis conſiliis eloqui & perſuadere, tum alios in idem ſentiendum (ratione præeundo) trahere poſſit & ſciat, verùm etiam ab opinione militaris ſcientiæ & caſtrorum uſu, favorem militum poſt ſe ducat, in decus & opinionem potentiæ, quâ maximè apud populum & apud Principem aſſequendo quod volumus, valemus. Verùm hæc omnia cum opinione virtutis (qua maximè hominibus imponitur) imò cum ipſa virtute agenda, ne ſubſit doli ſuſpicio, ad avertendos hominum animos. Quicunque hiſce cares? aliquid credo potes, nec tamen in ſumma rerum Reipublicæ prodederis. Ad perfectam authoritatem habendam non falſò *prudentiam* requiſivi; Falluntur valde, qui magnum in Republica civem per ſola exteriora agendum putant, dum illis numeroſi clientes, barba ſubmiſſa, non faciles aditus nec obvia comitas, elu-

eluctantia velut ex abdito verba, geſtus & inceſſus quæſitus, facies ad rigorem coacta, toga diffluens, ornata domus, dum per omnia, *aſpectu magnifici, verum tamen ſunt vacui*, quos verius ſtatuas Senatorum non Senatores voces, prout veterum ethnicorum erant idola, quibus cum divinitas quædam imponeretur nulla tamen inerat, illudque ipſum, quia muta erant, pro magnifico habebatur, quaſi ſupra hominum ingenium & vocem locutura, ſi tandem loquerentur, ut quæ alias, contemptus eſſe deberet materia, eadem apud ignaros venerationis haberetur occaſio, & opinio ſubſtrueretur tacitæ majeſtatis. Quanquam ne in iis exterioribus gravitas negligenda, quæ non leviter ad authoritatem conferunt, nec decet Senatorem levitas; ſed tamen hæc utique diſſimulari poſſunt, verùm conſulendorum & agendorum prudentia, tum *Virtus* ſola verum Senatorem facit.

Scias verò quiſquis es ſcrupuloſus ſtatuum expenſor, cùm de privatorum civium potentia locutus ſum, ne te admirabundum reddat; nam hic ratio habita per omnia, non ejus Reipublicæ quæ ſit *Urbis* (ut fuit olim apud Romanos aut nunc eſt apud *Venetos*) ſed ejus quæ ſit *Provinciæ*, ut eſt apud nos Polonos, etſi quæ aliæ; quarum uti ſunt diverſiſſimæ naturæ, licèt

licèt unico Reipublicæ nomine vocentur, diversas etiam rationes status post se trahunt; Cùm in Republica *Urbis* illud quod regit magis loco adhæreat, in Republica verò *Provinciæ*, non ad certum locum, sed ad diffusos latè incolas regendi potestas referatur, ubi seu flagitiorum (quod absit) seu factionum in disgregato latius populo, difficilior contagio, *aut unius civis gliscens potentia, cæteris est haud valde periculosa*, modò ne nimium exuberet: Imò non civis modò, sed exterorum etiam vires (ut obiter sed revera dicam) Rempublicam Provincialem concutere, sed non frangere possunt, cujus rei (ne per aliena decurram) triste domi exemplum exhibuit nobis luctuosus annus MDCLV, cùm enim ab Anno Chr. MDCXLVIII, insperatus servilis (à Russia) belli turbo, vocatis in periculosam societatem Tauricanis Barbaris, repentè Poloniam corripuisset; totoque septennio (pro portentosa potentia) repetitis cladibus concussam, in annum MDCLV deduxisset, ut ab eo satis superque malorum putares ad conficiendam Poloniam, dum ære, viris, viribus exhausta, corpore cicatricoso subsistere vix posset, & quietem posceret. Verùm en iterum major periculorum moles, eodem anno MDCLV nobis incubuit, cui ferendæ integram & sibi constantem
L Polo-

Poloniam haud ſuffecturam ſperares; Ejuſdem enim ſervilis belli contagio, traxit in noſtri hoſtilitatem & ſui ſocietatem, Magnum à Septentrione Moſchorum Ducem, mox & Suecorum Regem, amicos quidem Principes, ſed ab occaſione raptandæ inter ſe Poloniæ, fœdifragos eſſe malentes quàm ſine lucro amicos, eoque animorum ardore & fiducia virium, ut coälita ſocietate & pacto, dividerent inter ſe prius occupandam, antequam invaderent Poloniam. Maxima igitur ex parte (quanta in ſuo vaſtiſſimo corpore cum ſuis Ducatibus & Provinciis, quà patet Polonia) ducentis magnis milliaribus in longum latumve, hoc aut illo, tertio aut quarto ab hoſte diviſim, aut pervaſtata, aut erat occupata. Jamque Suecus præſertim, pro ingenio quorundam, (*ab odio præſentium & cupidine mutationis* nova molientium) ſtudiis provectus, de aliqua Regni parte diſponere præſumebat, eoque brevius duratura poteſtate, quò ſuperbius in cives, quò magis contra Eccleſiam Dei injurioſè. Jam exercitus ſeditioſis molitionibus diſtractus, in obſequium advenæ Principis ferebatur, utque nova experiretur perdere antiqua infami pacto malebat. Jam contra ſeipſam armabatur Polonia, & furentis adinſtar, violentas manus in pectus ſuum verterat ipſa, ut iidem Polo-

Nunquam Poloni vinci aut frangi poſſunt, niſi prius ipſi contra ſe armentur, dum adeſt intus concordia, nemo exterorum armis prævalet.

ni

ni hoſtes eſſent Polonorum, cùm nonnulli civium infaſcinati (mirum dicere fucata Sueci Regis gratia, in admirationem novæ purpuræ conceſſerant (ſi enim cum Polonis mollius agas, nulla humanior gens, nulla magis diſcreta, eoque ſub prætextu ſi verum dicere licet, Polonum fraude involvas, dum ſunt amicè creduli & incautè effuſi, pro ſua ingenuitate quemque metientes) ſic ergo aliqui Polonorum decepti non victi, viginti per dies ſcenicum mirabantur Principem. Jam inquam amici nobis aut Reges aut Principes, pro inſolenti Sueci Regis fortuna, vel à negata Polonis ope, gratiam victoris aucupabantur, imò non annuiſſe in excidium vicinæ gentis, offendi Suecum ideò timebant. Atque tam deformiter jacentem Poloniam quis tandem ſublevaturam caput ſperaſſet; verùm en dum hoſtis in vaſto Provinciarum corpore, non ſatis tutè ſingula obſervare, nec ad quoſque ſparſim manentes cives attendere poſſet, omnes verò irritaret. Invenit tandem auſpiciis Sereniſſimi Regis noſtri *Joannis Caſimiri*, tum aliquorum cordatiorum civium virtute ſtudioque, fortuna Polona viam; ſed hæc potius ad Deum authorem, & Virginis Matris Dei gratiam referenda Quid unquam magnorum in orbe, aut repentius cecidit, aut aſſurgere cæpit extra ſpem reſurgendi facilius, ut

Diſcretio & Credulitas, *agnita Polonorum vitia.*

ſi pleraque humanarum rerum , aliquæ hominum aut dexteritati aut prudentiæ adſcripta ſint, hoc unicum ſolius Dei potentiam loquatur ; ſic Polonos cecidiſſe oportuit, ut Dei potentiam pro ſua Eccleſia palam teſtarentur, ſic ab omnibus vicinis populis deſertos, ut aut glorioſius ſoli vincerent, aut nulli quàm ſoli Deo quicquid rectè actum eſt (utinam non ingrati) totum deberent. Sed hæc pro Republica Provinciæ obiter, non tamen extra rem. Rempublicam igitur *Vrbis* velut brevi compendio unico incluſam loco , aut tumultu diſtrahas, aut potentiâ invadas, aut facilius occupes, aut ſecurius oppreſſam teneas; *Sylla, Antonius Cæſar* pro me loquantur.

X.

X.

CAUTIO REIPUBLICÆ,

Seu Durationis Omen.

1. Uamdiu in populo Polono Jus primogenituræ aberit, ut cujusque hæreditas pro æquali portione dividenda ad liberos transmittatur. Et quamdiu titulata Nobilitas in superbas domos non invehetur (*ad retinendam æqualitatem* tam penes genus quàm penes potentiam) ab illa prima causâ durationem libertatis & Reipublicæ auspicari licebit.

Facilius ideo magis quàm cautius Respublica indulsit, Ordinationes ex primogenitura, domus Ostrogiorum, Miskoviorum &c. tandem illas credo abrogatura, ut minus proficuas.

Sed cur etiam prudens aliquis titulatam Nobilitatem curiosius petat? nisi avitæ suæ potius detracturus. Quamobrem magnus ille virorum *Joannes Zamoskius* cùm in admirationem suæ virtutis, non patriotarum Polonorum modò, sed externorum Principum animos rapuisset, ac fortè per legatum Regis Hispaniæ tunc in Polonia hospitantem, ad acceptandum Burgundicum decus (Comitum aurei velleris) invitaretur, prudentissimè respondit; Haud minora se à Polona Nobilitate ferre decora, neque augmento titulorum amplius

opus habere, ſed veniam ſibi potius in eo dari velle, ut pari humanitate, quâ ſibi illud munus à tanto Rege offerretur, retrò remitti liceret; adjecta omni ſua in tam benevolum Principem obſervantia; Verè dictum; Deeſſe quidem in noſtra gente gradus Nobilitati; honore tamen eam diſtingui. Quotquot enim hic ſunt terrarum Officiales, juſtè dixeris *Comites*, quotquot Caſtrorum judiciariorum Præfecti aut Succamerarii, aptiſſimè voces *Marchiones*, quot recenſueris in ſenatu majores aut minores Caſtellanos, dicas item majores aut minores *Nobilitatis Principes*, quotquot Palatinos aut Dignitarios? re ipſa nomina (verùm ſub aliis nominibus) Duces, Excellentiſſimos, Illuſtriſſimos, Illuſtres; Cùm tamen omnes æqualiter ſint genere & jure Nobiles, & velut huic baſi innitantur; eoque pro majori amplitudine titulorum, quo illi non ad vanam ſortem naſcendi obtruduntur, ſed ſoli aſſervantur virtuti, vidit antiquior & recentior ætas, exterarum gentium aut Comites aut Principes, tum magnorum populorum Dominos, Tranſylvaniæ videlicet Principes, tum Valachorum Palatinos & alios purpuratos, pro acquirendo jure Polonæ Nobilitatis non levi ſtudio laboraſſe, & ab authoritate Comitiorum (quæ ſola parandæ Nobilitatis via eſt) magni muneris lo-

co

co ſibi conceſſum acceptaſſe, ut veluti olim Romæ ſocium populi Romani dici. Hic item Polonum indigenam Nobilem vocacari, multæ ſit apud Rempublicam gratiæ [Reliquum ejus loci vide in Hiſtoria mea de geſtis Populi Poloni ſub Henrico Valeſio Polonorum, poſtea Galliæ Rege.]

2. Quamdiu Poloni equo & haſta bellabunt [ſed ut pedeſtri tamen exercitio non abnuant, quo maximè bella ſuſtinentur. Eques enim conflictui, pedes neceſſarius in univerſum bello, ſua defendendo, aliena expugnando, urgendo, parta retinendo, etſi bellum trahatur, minus ex commeatu opus habet, lentius parat, ſed diu tenet victoriam.]

3. Quamdiu extranei, Civitatis jure (ſeu Patrio) parcius donabuntur, & longius arcebuntur privato Regum à conſilio.

4. Quamdiu externo Duce & milite non utemur.

5. Quamdiu crebra fortalitia non muniuntur, quàm ut ſinguli Palatinatus ſingula munimenta in publicum exſtruant (pro ſecuritate & depoſitorio pignorum ſuorum, dum ad bellum abit Nobilitas) commeatu, armis, & milite ea procurando, privati verò cives, munitiones potentes paſſim non exſtruant.

6. Quamdiu nomen communium armorum Equeſter ordo non exuet, annui

potius lustri repetito more, quod est vis & anima libertatis.

7. Quamdiu Judiciale Tribunal durabit.

8. Quamdiu vitata Civitatum vivendi communione, separati vicos & arces inhabitamus, ut longis spaciis discreti, nec factione, neque vitiis misceamur.

9. Quamdiu Comitia frequentiori Senatorum (& Ablegatorum provincialium) numero celebrabuntur.

10. Quamdiu consensus consilii & libertas *Vetandi* durabit.

11. Quamdiu nostris contenti finibus, de antiquo retinendo potius, quàm pro novo parando, virtute & armis contendemus.

12. Quamdiu multorum populorum fœderibus non implicabimur.

13. Quamdiu mollioribus exterorum moribus per curiosas peregrinationes, matrimonia, contractus (imò *vestitum*, quo peregrina sæpè studia teguntur) exoticorum incuriosi, nostrorum tenaces non imbuemur.

14. Quamdiu ab externis (idque remotioribus) Rex eligetur, tum vivente Rege, de successore eligendo nulla fiet mentio.

15. Quamdiu prima potestas privatim non armabitur, tum ærarium publicum

ac

ac ſtipendiarius miles publicis Præfectis ſuberit, ut miles ſtipendium & officium Reipublicæ debeat.

16. Quamdiu Regius ſanguis ab incolarum jure, tum cognatione aberit.

17. Quamdiu aberit abſoluta Regum à poteſtate, dignitates & officia Regni, tum bona in benemeritos cives privilegiis collata, pro libitu iterum auferre.

18. Quamdiu pro authoritate Primatis laborabimus.

19. Quamdiu reſidens Senatus, interſtitio Comitiorum Regi & rebus aderit cum diligentia.

20. Quamdiu antiquæ leges ſeverius obſervabuntur per omnia, non ut curioſius innoventur [*rara quidem ubique gentium lex quæ omnibus in commune placeat, ſed ea utique probatur, quæ majori parti civium prodeſt.*]

21. Quamdiu belli & togæ prima munia, bonis & modeſtis pro virtute, non pro petentium ambitu conferentur.

22. Quamdiu confidentia inter ſtatus manebit, & civium concordia.

23. Quoaduſque Sagum non prævalebit Togæ.

24. Quamdiu fides Ducum & militaris diſciplina vigebit.

25. Quamdiu Belli Duces Sago intenti, caſtris ſe tenebunt, procul à Comitiis, & à potentia ſuadendi.

26. Quamdiu Catholicam Religionem Rex & cives cum cultu *Virginis Dei Matris* constanter tenebunt & tuebuntur, [in eam verò rem commodissimum foret, antiquo more, *imò pro Ecclesiæ jure* Episcopos per Capitula pro virtute eligi, quàm dum ab obvio Principum creantur, (& antequam oves suas noverint) transportantur favore,] tunc verò favente Deo, Polonorum nomen Resque publica cum libertate (accipe Omen non ex falso) DURATURA.

Hoc loci non leve arcanum in palam protrahere juvat. Quid sit? Cur Polonorum status ac proinde libertas inter ea, quibus novorum Politicorum acerba succensset censura, non ruant, sed potius subsistant & firmentur. Necesse ideò sit, occultam subesse causam quam aliqui non assequantur, sed pro ingenio suo rem metiantur.

VIDELICET.

1. Circa consilia.
2. Circa ordinum aliquas simultates.
3. Circa publicum peculium.
4. Circa justitiam in reos.
5. Circa fortalitia.

6. Cir-

6. Circa summam *libertatem*, quam invidioso vocabulo, plerique non rectè licentiam vocant.

OMnia percurram suggerendo, aut qualiter noceant, aut quomodo ab oppositorum ratione sint proficua ad statum; nam verè aliqua in statu nostro ferenda suadere ausim, vel si absint, publicam rem in pejus turbari necesse sit; velut enim Medici, constituendæ vitæ hominis, ajunt Choleram (quæ alias sui natura acerba) moderandis reliquis humoribus adeò necessariam, ut absque illa, vivere hominum rectè constitui non possit. Sic ex vero dixerim, ut si aliqua apud nos curiosè immutentur, aut corrigantur in speciem, *in pejora mala impingi necesse sit*; ac proinde status Polonorum vim patiatur, atque hinc mihi causa dicendi.

Succensent primùm novi Politici *Convocandis Comitiis*; & potiùs requirunt aliquod præsens consilium è paucioribus Provinciarum de legatis substituendum, ut quæ mala interveniunt ex insperato, cum Rege & Senatu in rem communis boni summa potestate sint iis occurrendo, cùm tardum sit convocare Comitia (sic ajunt illi) dum præsens malum domi ad-

eſt. Non ſuccenſuerim quidem iſtorum rationibus, habeant illas ſibi, ſed pro mea parte quid in re ſentiam, aperiam pro conſcientia; Quid enim eo facto, niſi ſummus Dominatus ſine ſenſu & ſpecioſo ſub titulo in Rempublicam invehatur, ad pauciores devolvendo poteſtatem Reipublicæ, ut ſenſim Equeſter ordo excludatur ab uſu conſiliorum; nam alias Principis Majeſtas, inter pauciores liberius in rem ſuam totum agat & aſſequatur, præſertim cùm ex diuturnitate ratio & tempus adeſſet, aut quod exinde ſequitur, habere Comitia nolit, quæ ſola aut quid in melius fieri debeat parare poſſunt, aut ſi quæ corrupta ſunt, ad Normam reducunt, cùm Senatus, totque delegati Provinciarum confluunt, ut à gravitate conſilii, & fiducia ex numero, quod in rem ſit petant & aſſequantur, aut facilè obſtent (pro potentia clientum) ſi alias in ſummam poteſtatem res inſolenter trahantur. Adde, quia non tam facilè reſpectu metus aut gratiæ flecti tum corrumpi poſſunt, dum unus alterum in eo numero (teſtis fidei atque virtutis) circumſpiciunt, tum ipſa temporis brevitas multa ſuaviter inter æmulos recidit & concordat, quàm ſi alias ex mora factionum & corrumpendi adeſſet occaſio; Tamen utique interſtitio Comitiorum non negligentius habetur publica res, adeſt enim

enim *Residens Senatus*, qui publica negotia (non tamen absolutè in iis quæ totum concernunt statum) curat, rationem consultorum in Comitiis redditurus, quæ aut probent ordines, aut secus censuram imponant, in fastos actorum non illaturi. Quid ultra in eo certandum, cum sufficiant in rei documentum præsentia tempora (*intra annum Domini* 1654. *& Annum* 1658) quibus pejora, non ante passa Polonia, aut vix ulla in orbe Provinciarum alia, cum nempe tota Europa (res portenti loco sit) intra Poloniam, ac de obtinenda Polonia, totis viribus armorum concuteretur, videlicet *Germani*, *Sueci*, *Dani*, *Moschi*, *Hungari*, *Tartari*, *Valachi*, *Moldavi*, & super hæc *Russia* rebellis; Atque hi omnes integris exercitibus; Jam reliqui animo, consilio, pecunia, submissione armorum, & (prout conduxit) voto, videlicet *Galli*, *Hispani*, *Angli*, *Turcæ*, *Græci*. Vidimus inquam, quàm profuerit vim Comitiorum præsentem tunc abfuisse, quæ alias si adesset, aut à terrore præsentis mali & necessitate, aut à desperatione meliorum, aliquid in damnum Reipublicæ tota ordinum potestate transfigeretur. Sed dum Rex cum pauco residenti Senatu, quantum potest consulit rebus in præsens, & dilatione Comitiorum laboratur, interim meliorum temporum & rerum

interventu, res Dei beneficio ſanatæ, ut tandem fortuna Polona in melius eluctata ſit, ne potiores in eo rationes importunè revelare opus habeam.

Circa ordinum ſtudia, non diffiteor aliquas oboriri poſſe ſimultates, ſed ut olim Romæ obſervatum, non obfuiſſe ſed profuiſſe potius, cùm ſtudia plebis & Senatus inter ſe modicè colliderentur (ut ab eo vel Senatus argueretur vigilantiæ erga plebis potentiam, vel ne plebs Patrum ſuperbia gravaretur, interventu Tribunorum plebis obviatum erat) ut inter eam animorum & ſtudiorum luctam, ſumma in publicum eliceretur omnium virtus; Hic etiam fruſtra quis requirat ſcrupuloſè, inter ſummam libertatem quæ eſt penes equites, & ſummum dominium quod eſt in Rege, velut inter extrema duo, ut abſint colliſiones quædam ſtudiorum, dum quiſque ad ſuum tuendum advertit, partim ne ſi libertati gravis ſit Princeps, Reſpublica opprimatur, aut ſi libertas nimium exuberet & inſoleſcat, ne in licentiam verſa gravis ſit Principis Majeſtati. Adeſt prætere a mediator Senatus, qui nec ſummæ poteſtati contra Libertatem, nec equitum licentiæ contra Majeſtatem ſuffragatur, ſed rem conciliando vigilanter attendit, ne libertas cum ſumma poteſtate periculoſè committantur, bilance rem librando,

ne

ne una alteri præponderet, ſed ex æquo ſint, ut partim Majeſtati reddatur ex juſto quod ſuum eſt, tum præſertim ne dematur libertati quod fiat in legum præjudicium; nam alias magis circa metum eſt, non ut *Libertas in Majeſtatem* inſoleſcat, ſed ne tandem *Majeſtas Libertati* detrahat. Ex eo advertere licet, exemplo dictaturæ Romanæ (à cujus poteſtate unicum turbatarum rerum remedium olim aderat) hìc etiam, Regiam perſonam, imaginem cujuſdam (ſed non gravis populo) dictaturæ præ ſe ferre, dum pro ſua Majeſtate advertit ille, ne publica res detrimentum patiatur, dum reliquis Ordinibus præit ac præeſt; tandem authoritas Comitiorum ex collatione omnium ordinum rem totam in melius perficit.

Defectum parati peculii damnent aliqui; ſed non ego, & rerum noſtrarum peritus quiſque; Ergo ne à parata pecunia inſoleſcat Majeſtas, bella è bellis gratuitò quærat, & Rempublicam periculo implicet; potius delectus, pecunia, commeatus, in Comitiis petantur, ut à petendæ pecuniæ (& quod in rem Principis ſit) occaſione, petat item ſibi Reſpublica à Principe quod velit, vel ſi obſtet Rex, *habeat quod Vetando opponat*, honeſtè ſuum extorſura. Sic olim (quod alibi dictum) Romanus Populus, à Patribus quod opportunum

num erat assequebatur, periculosis quibusque temporibus delectum, pecuniam, commeatum, vetando, negando; non quod aut ipsi malè fieri in publicum optarent, aut non cuperent belli subsidia, sed ut opposìtu honestæ extorsionis, utraque pars sibi mutuò suaviter condescenderet.

Tarditas justitiæ in reos non aliis tantùm, sed mihi etiam displiceat, nisi ea potius necessaria cunctatio pœnæ vocanda sit, (utique per licita juris beneficia cuique reo concessa). nam alias ex præcipitantia quid pejus in publicum oriatur, nisi intra dilationes advertatur, præsertim in potentes cives, quos si statim feriant leges, nec per intervalla (dissimulandi modo) minentur, periculum ne desperatio veniæ & cura evadendi rem periculo involvat. Erratum olim Romæ, cùm non intra dissimulationem res stetit contra Julium Cæsarem, quem quò ardentius nonnulli in ordinem redigi volunt, eò magis contra se & Rempublicam armârunt. Subnectas subinde, licitum hic cuique potenti facere quod velit? Minimè; adest utique lex, adest quemque in ordinem redigendi potestas, prout aliquoties contra magnos factum; Neque ego justitiam damnem, sed item cunctationem irrogandæ pœnæ & beneficia juris pro statu nostro non improbem, ut interim tempus, occasio, amici,

metus

metus conſcientiæ, tum ipſa tandem lex, velut ex tacito ſenſim ac ſuaviter vires componant, ſine turba & ſine animorum colliſione inæmulos. Adde, quia interim ad minus potentes ſucceſſores onus juris deerrare poteſt, cum magno libertatis & *æqualitatis* arcano (non ut ni aliis gentibus major natu hæreditat) bona Parentum ex æquo in filios ſucceſſores hic dividantur, ut quorũ Parens pro potentia inſolens, aliis metuendus eſſet, poſtquam in portiones filiorum ſucceſſio dividitur, jam metuant ipſi, nec in ſoleſcant in ordinem redacti. Sed verè in ea ſuavitate juris & cunctatione pœnarum, non ea tamen in noſtra gente privatim publicéque ſcelera, tumultus conſpirationes, prout in aliis gentibus vidi, ubi *pœna* & *rigor* (ut ajunt) *ſub manu naſcitur*; Velut olim Romæ, plures patricidas repertos eſſe quidam memorat, poſtquam pœna Culei in patricidas publicata, quàm cùm nulla erat; Hic item partim pro ingenuitate civium, partim pro innata gentis modeſtia, plura quàm ex legum metu fiunt; ac licèt adeſt legum rigor, ſed verè *oderunt peccare boni virtutis amore*. Amat enim quiſque ſuam quam vivit Rempublicam, nec habet cur ſeditiones in publicũ, in ea ſuavitate libertatis ciëat; Affectati itẽ Regni ſuſpicio in neminẽ cadere poteſt; Adeò enim extra morem eſt, ex indigenis civibus (nam ad pere-

regri-

regrinos ortu deferuntur ſceptra) Regem eligi, ut fabulæ loco ſit, Regem ſe creandum ſperare. Nec ſciam ejus inſaniæ exemplum, imò potius obſervatum habeam ſub interregno Henrici, cum aliqui civium ultrò ad regnum vocarentur, recuſarent tamen inſolenti fortunæ. Neque etiam fit, ut in privatos cives aliquis potentiorum paſſim inſoleſcat, cum enim non levi Reipublicæ arcano, non ſimul in civitatibus, ſed diſgregatim per ſua quiſque rura & Caſtella nobiles habitant, ab ea certè ſeparatione, nec cauſa offenſarum (quæ ſæpius amat à præſenti congreſſu oboriri) adeſt, nec item occaſio vindictæ reſtat in diſgregatos, ut mille alia bona ſubticeam, quæ in publicum ab ea manendi ſeparatione proveniunt. Sic igitur pulchrâ cauſarum inter ſe concordantiâ, ſuaviter volvitur Reipublicæ noſtræ orbis, ut potius civium potentia & numeroſæ clientelæ proſint, quàm obſint ſtatui; nam verè gratuita optimatum ſubſidia, duplum ſæpe numerum mercenariorum ſuperant. De legum pœnis loquor, non incurioſè rem ſubnectere juvat, ut cum ſolita Nobilium pœna ad ſeſſionem carceris referatur (niſi ingens alias delictum pœnam ſanguinis poſt ſe trahat) non tamen incarceratorum turres, crebris cuſtodibus (dum ſemper apertæ patent) aut ferramentorum

repa-

repagulis muniuntur, sed sola juramenti reverentia & sanctitate, dum post exactam pœnam juratur, de fideliter exacto carcere; Nam alias tantundem protrahitur sessio; ut sic pro gentis ingenuitate, non coactè sed volenter, in pœnam sui consentiat reus.

Ad fortalitia ventum; hæc in nostra gente quò rariora sunt, eò securior intus & foris Respublica, hodierna belli *Polono Europei* moles, rem loquatur; nam ubicunque partium rariora fuêre per Poloniam fortalitia, minora inibi hostis capiebat belli incrementa; Cùm enim (ut ingenuè fatear) nostra gens equo assueta ad pedestrem militiam non sit prompta (sine qua munimenta haud rectè subsistunt) ideò quæ fuêre passim fortalitia, hosti magis contra nos, quàm nobis profuêre. Ab eadem ratione sequitur, ut cum retinendis fortalitiis ab externis populis legendi sint pedites & Præfecti, hi aut corrupti non tam ex fide pro aliena Republica agunt, ad hostes transeunt, nostra produnt, aut si passim inducantur in Provinciam, periculosum ne instrumenta sint affectanti gravem Dominatum contra Rempublicam & libertatem, nam peregrinus miles, maximè opprimentium est. Laudaverim etiam Spartanos, cùm à fiducia murorum ignaviam sensim ingenerari suspicarentur, lege

lege vetitum habebant, *Ne Sparta muro cingeretur*, ut plus ſpei in virtute civium, quàm in obſtaculis munimentorum poneretur. Pectora fortium civium & exercitas acies, muros Spartanorum eſſe, aut ſi hæc abeſſent, haud ſufficere muros; prout factum, ut Sparta nudata muris, campo & aciebus ſtudens, diu ſtaret, & victis imperaret populis, Athenienſes cincti muro, nec tam fortes eſſent in acquirendo, nec ſua tandem tutari poſſent. Ergo ne ideò nulla fortalitia velim? abſit ea mens, ſuadeam potius habenda, ſed rarius per ſingulas Provincias, eaque cautione, ut vernaculis Præfectis & cohortibus committantur in cuſtodiam, quibus ſoli Nobiles præſint regendo, tum ut ſufficienti præſidio, armisq́, commeatu, muniantur, ut eò pignora ſua convehat Nobilitas abitura in caſtra. Habeo inſuper aliam rationem in promptu, cur paſſim aut potentes urbes, aut privatorum arces muniri haud ſuadeam, ſed reticere cauſam, utriuſque rei præſtat.

Ipſa ſe res inſinuat, fruſtra Polonorum Libertati, nomen licentiæ imputari, niſi ab iis, qui dum non intelligunt Rempublicam, pro ſuo quiſque ingeniolo quod vult leviculè blaterat, aliquid in ſtatu ſemper videns etiam cum nihil videt. Præſertim ſi ſint aliqui ex illis pejoribus, qui privatum

vatum ambitum publici boni velant prætextu, unde adstruxêre invidiosè retorta in libertatem nomina, tum præsertim in meliores cives, qui pro ea, Comitiali potestate, certant studiosè, vocando aut turbulentos, aut (quod olim Romæ in rectissimum civem Catonem à bono dicendi zelo sinistrè retortum erat) *duros tum inhumanos*, cùm verè alias pro antiquo more & lege unita virtute certare, non factio sit, sed potius in bonum unio, non extorsio, sed petitio, non contraventio rebus illatis, verùm sui tuitio, non morosa dicacitas, sed justus ex dolore sermo, tum querela, non ardor in novas res igneus, sed bonus pro libertate zelus. Non igitur per libertatem dicendi stat, quin perspicatiores aliqui civium acerbius quandoque querulentur & insurgant verbo, sed penes illud, ne quid contra leges peccetur, neve imponatur Provinciis quod grave sit, ad occasionem querulandi. Sed vereor tandem ne eveniat successus fabulæ, quam Demosthenes de ovibus canes lupis dedentibus Atheniensibus recitavit (cùm præcipuos Oratorum dedi sibi victor Alexander cuperet, ab imposito prætextu, quasi per eorum dicacitatem publica pax stare non posset) sic isti acerbi rerum censores, exarment verius Rempublicam & libertatem, quàm ut modum ponant (ut illi obten-

tendunt) licentiæ, ſublata libertate dicendi. Habet quæque Reſpublica occultas ſtatus ſui cauſas, quarum rationem hebeſcat mens & ingenium aſſequendo: Quis ſciolus non ſuccenſeat Spartanis? quibus ex inſtitutis Lycurgi *interdictum erat uſui pecuniæ, tum ne urbs Spartana muro cingeretur*, cùm alias & munire ſua, & ærarium coäcervare res & ratio communis Rerumpublicarum ſuadeat, verumtamen Sparta iiſdem inſtitutis ſtetit diu, aut poſtquam ab iis receſſit, repentè in pejus mutata eſt, nec iterum recepit priſtinum vigorem, quàm & demolita eſt muros & abjecit uſum pecuniæ velut ſuæ naturæ reſtituta. Neque item miretur aliquis, res populi Poloni per aliquas contrarias cauſas pace aut bello ſtare poſſe, cum enim naturæ populi ſint congenitæ, non immutari eas oporteat, niſi publico damno, aut ſi immutatæ, omnino reducantur, nec alias Reſpublica bene valeat; boni verò conſultoris officium eſto, pro natura populi conſulere, nec vagari per exterorum mores & inſtituta ingenio, quod verius vani conceptus eſt, quàm bonæ rationis. Verùm quid pluris? ſatis ſubnexuerim, Polonos pro gentis ingenuitate niſi in libertate poſſe vivere, qui verò diſcretior & humanior Rex, eò fidelius illi ſubſunt; Non hic ſicarii, non venena, non proditiones, non tumultus.

Plura

Plura in hac gente ingenuitatis viâ obtineat Princeps, quàm alibi per minas, per extorſiones, & metum abſolutæ poteſtatis, tum quod raro gentium viſum, uſitatum ab antiquo Regum Poloniæ Symbolum illibatè hic ſervatum, ut *in ſinu cujuſque civis, Rex ſuus ſecurus obdormire audeat.*

XI.

RERUMPUBLICARUM RUITURARUM SIGNA.

TUnc verè converſionem ſtatus in præliminio ſtantem arbitrêre, dum paſſim prævaluerint bonis, *Homines aut petendo, aut agendo audaculi, præſertim qui præſumunt eſſe ſibi prudentes.* Trahas potius in cauſam depravata conſilia, civiles turbas, avaritiam & injuſtitiam Magiſtratuum, colliſiones æmulorum, aut ſi quæ à fatis convertendo ſtatui ſua triſtis imminet periodus; ſed tamen uti hæc ipſa, non abſque illo oriuntur fonte, ita ſi rectè ponderaveris, ab illis primum ſuffocari, ab his demum ſepeliri Rempublicam fateare, niſi ſuffo-

ſuffocetur non ſepeliendam. Quis enim ſuggerat & cieät turbas, aut ſuæ & aliorum avaritiæ tum injuſtitiæ impudenter ſuffragetur? aut petat audaculè quod contra leges ſit, niſi *impudens malè facti, & evadendo audaculus*. Quis fluctuetur conſiliis & provehatur in æmulationem ambitus, ſancita populi eludendo, quàm præſumptuosè & audaculè ſciolus. *Cujuſvis conſilii quamvis egregii, quod non ipſe adferat inimicus*. Illa verò recta prudentia eſto, quæ ſit penes modeſtiam, nec quæ ſtudet ipſa videri, ſed quæ ſua & aliorum recta, æquè videt.

Et hæc à parte Civium.

JAm etiam à parte Principum non deſunt converſionum cauſæ, verùm ut eas recenſeam, eſt extra meam mentem & votum. Dicam tamen unicam & maximam, videlicet eam. *Si aliquando eveniat Princeps, qui & ſua meliora non promat, tum aliorum recta conſilia, aut non dignoſcat, aut non ſequatur, imò præpediat.*

Si verò Princeps bonus, licèt ſint depravati cives, non planè infelix eſt Reſpublica. Aut ſi cives conſtanter boni, neque per privatos reſpectus & ſtudia diſtracti, non bonum certè Principem authoritate Collegii reducere poſſunt in melius, aut ſaltem, ne malè fiat, obſtare; Qui ſi ab utrinque

que boni & cives & Princeps? ô Rempublicam felicem! ô cives beatos! ô tempora plus quàm aurea! ſint ab utrinque mali? Non infelix modò eſt Reſpublica nec ruens, ſed planè turpiter jacet, & convertitur in adverſum ſtatum.

Nam, ut verbo claudam.

Deſinit eſſe in ea Republica remedio locus, ubi quæ fuerunt vitia, mores fiunt.

XII.
MINORES AUT MAGNÆ VIRTUTES

Diverſo modo in animis vulgi ſe habent.



Agnæ virtutes magnam ſecum vehunt admirationem, Minores, amorem hominum & amplexum, major illarum, ſed in magnis, ac proinde rarior, iſtarum perpetuus uſus eſt, ideóque ſæpiuś in oculos incurrunt, & infaſcinant utentium animos tum mentem, Juſtitia, Pietas, For-

titudo, Prudentia, cùm ex ordine magnarum ſint virtutum, ſed quia per temporum intervalla & ſuas occaſiones ſupra hominum converſationem ſunt validæ, potius per ora hominum, quàm per intimos animos vadunt, & admirationem vulgi provocant magis quàm amorem, cùm illas à magnitudine ſtupet vulgus, has ab uſu amplexatur. Jam verò civilitas, comitas, mores amœni, amor ſociorum, ingenium feſtivum, animus ad converſationem accommodatus, oſor ſeceſſus, hilaritatis cupidus, liberalitas extra triſtem perſimoniam, cùm ex minore claſſe ſint virtutum, aut verius Politicarum virtutum condimenta, quàm reales virtutes, magnas tamen conciliant homini laudes, & parant civium amorem, quaſi in reliqua incurioſum vulgus, has ipſas quærat & cum guſtu loquatur. Non igitur mirum, ſi alioquin homines ſint magni, nec tamen amore in vulgus valeant, cùm enim magnarum virtutum ſtudioſi, hæc vulgo grata lenocinia negligunt, ipſi negliguntur, quibus tanta ineſt vis, ut ſine eorum condimento, aut magnæ virtutes licèt in pretio ſint vulgi, certè non inutentium amplexu, aut ipſa quandoque vitia eorum fuco tegantur, nec ſint inaccepta. Rectè obſervatum reliquit Plutarchus in comparatione Alcibiadis cum Marcio Coriolano.

Mar-

Marcius actiones & virtutes suas ipsis adeò etiam illis de quibus bene merebatur molestas reddidit, fastum & contumaciam (quam solitudini aptam Plato dicit) non ferentibus, Alcibiades autem contra, norat facilem se in congressibus præbere, itaque mirum non est, bene ab eo actorum gloriam floruisse, benevolentiamque & honorem ei apud homines fuisse, quando peccata etiam ipsius quædam grata & jucunda fuerunt, inde factum est, ut hic cùm haud exigua damna Reipublicæ dedisset, sæpe tamen Dux & Prætor creatus sit, Marcius verò Magistratum petens virtuti suæ debitum, repulsam tulerit, adeò alterum ne læsi quidem ab eo cives odisse poterant, alter quanquam in admiratione apud suos esset, nemini tamen charus fuit, &c. Marcium fastus non patiebatur eos demereri à quibus honoribus poterat ornari, ambitio autem faciebat, ut præteritus doleret atque irasceretur. Item Cato cùm esset moribus gravis & sedatus, ac verè per omnia virtute magnus, æstimabatur tamen non amabatur, quia in eo (ut apparet) deerant humanioris cultus lenocinia, ait Plutarchus. *Non obscurum erat Pompeji erga Catonem studium demerentis magis quàm amantis, intelligebaturque eum Catonem præsentem admirari, discessu ejus lætari, nam reliquos juvenes qui ad se venissent, Pompejus magna cupiditate secum detinebat, à Catone nihil tale*

 pete-

petebat, quasi eo præsente sua potestate liberè uti nequiret, ita libenter eum demittebat. Suasum igitur sit cuique viro prudenti civilem vitam capessituro, ut cùm summas virtutes adamaverit, ne illa quidem virtutum & socialis vitæ condimenta negligat, idque causa ipsius virtutis, dum enim ipsi sunt vulgo accepti, etiam virtus illorum erit acceptior, plus ad permovendos homines valitura & potens. Multum alias ab humaniori cultu abeunt illi, qui morositatem suam & convictus barbariem velare obtendunt parsimonia aut austeritate Catonis. *Cato vitæ & studiorum rationem* (Plutarchus in Catone Uticensi) *diversam sibi ab ea quæ vulgo tum usurpata tenendam ratus, cùm purpuram videret saturatam rubore & rutilantem cæteris probari, nigrâ ipse usus est, sæpe etiam nudus pedibus & sine tunica post prandium in publicum prodiit, non gloriæ venandi studio, sed assuefaciens se, ne cujus ipsum rei nisi turpis puderet, reliquas infamias ut contemneret.* Non succensuerim quidem Catoni, sed mirari quosdam nostri temporis non abstineo, dum Catonisare volunt, sordidi potius fiunt, nec levem censuram merentur, qui non se moribus sæculi aptant (dummodò ii virtuti in contrarium non abeant) verùm ad suum genium & morositatem totum trahunt, nec se omnibus, sed sibi omnes accom-

commodari volunt, quæ est occulta prætextu virtutis & modestiæ velata superbia. Nobis non in Catones, sed in Veritatis Æternæ Legem (quæ perfectissima morum & absoluta honestatis est norma) intentos esse oportet, quæ nec decentiam ornatus improbat, sed potius *Vestem Nuptialem* requirit in personis, modò non lasciviæ irritamenta, verùm honestatem redoleat, non ad fastum sed ad gravitatem status componatur: Nec amœnitatem sobrii & honesti convictus in nobis arguit, imò (dummodò non in id solùm nati videamur dies noctesque effusis concœnationibus impensuri, verùm sint nobis curarum, convictus, quietis, imò etiam Precum tempora distincta) auget, testimonio miraculi in *defectu vini Nuptiarum Canæ-Gallileæ*. Nec demum illa damnat, quæ tuendæ authoritati Regum, Nobiliumque personarum necessaria sunt, sed modum potius statuit, dum non absolutè *Pauperes*, sed *Beatos pauperes spiritu* vocat, ut cuncta quæ habemus, ad gratiam Dei referamus, jam habentes, jam (prout placuerit Deo) non habere parati, tam mendicorum centones, quàm Optimatum purpuram gratam esse Deo, imò forsan pro virtute personarum chariores illos. Adest fortuna, tituli, amici? eò plus proinde obligatiores Deo ut habeamur, quo

plura ab ejus manu accepimus bona: Rex ergo purpuram indutus, throno insidens, satellitio circumfusus, Palatia splendidis mobilibus ornata inhabitans, opiparatis mensis pro Regali decore accubans, *pauper spiritu esse potest*, dum sit penes virtutem modestus, clemens, afflictis promptus, non expilando inferiores ut abjectos, sed promptè juvando ut fratres; aut secus ne modici agelli possessor (quales vulgo pauperes vocamus) rapas suas & polentam in deliciis habens, dum spiritu attollitur, *animo dives* esse potest & tumidus, inquietus, avarus, cæteris molestus, gravis. Aut si tandem alicui placet neglectior humaniorum cura, tum allubet à contemptu caducorum perfectior vivendi status? habes cellam, claustra, secessum; nam inter homines non humano cultu vivere, non esse Catonem, sed barbarum est; vulgus externum cultum suscipit, & exinde gravitatis opinionem concipit de superioribus, nec illud quod metuit, sed magis quod miratur & æstimat in personis, tum reverendum sibi statuit; nam quæ oculos in se rapiunt, rapiunt & animos, nudam plerumque potestatis vim metuimus, aut odimus potius non amamus, sed eam quæ ab occulta rerum opinione fulcitur per authoritatem, tum gravitate per virtutem, amamus simul & reveremur in superioribus.

Nemo

Nemo ſolo ſui aſpectu aut ſola virtutis æſtimatione vulgo acceptus, ſi ſit præſertim in reliqua civilis vitæ condimenta incurioſus, nam ſecus fit. Comis es aliis, & amicitiæ ſtudioſus alienæ, comes erunt alii tibi, & ſimul te amabunt, honoras alios? teipſum honorari tacitè inſinuas, cùm tales eſſe alios erga te doces, qualis ipſe in alios es, aut cultu ſtudioſus, aut ſecus negligens. Comis inquam ſis & convictu amœnus, ſed ne ſatietatem inducas quo valorem dictorum & tui ipſius amittas, tum ne id ex levitate aut obvia facilitate, ſed potius cum gravitate in gratiam alterius factum veniat, unde magis æſtimabitur comitas, velut ex abdito, & pro ſingulari favore parcius com̃unicata, non prodigaliter projecta & effuſa; Geſtuum item tum verborum non ſis nimius cenſor, omnia rerum momenta quaſi non ad regulam amicitiæ accommodata moroſè in offenſam tracturus, ſed potius ſolida in amico ponderabis, inania omittes. In reliquo omnia ſeu amaturus, ſeu oſurus *cum gravitate* facies, cujus ea eſt vis, ut ſeu amicum laudaveris, majus verbi ſit pretium, ſeu reprehendas, extra offenſam tamen dicta audiantur, dum graviter & ſeriò potius facis quàm acerbè, ſi verò ad affectum rem vocaveris, totum, quidquid parvum, magnumve (dictu aut fa-

ctu) egeris, affectu corrumpes, & perdes authoritatem pro leviusculo habendus.

De virtutibus res est, non obsit adjicere; Eas virtutes quæ ingenitæ sunt, majorem venustatem habere in moribus alicujus, quàm quæ acquiruntur, nisi longiore usu tandem in naturam vertantur. Videre licet aliquos, pro natura ad gravitatem accommodatos, verbo, incessu, gestu, & ipsa facie tum aspectu per omnia graves, hæc adeò mores hominis non dehonestant pro natura sua facientis, ut ferè adusque confinia superbiæ facta horum non ingratà sint aspectu, jam aliqui cùm adscititiam prætendunt sibi & adstruunt authoritatem, licèt ad omnia præcepta quærendæ authoritatis scrupulosè se componant, verùm quia pro natura non sunt accommodati, sed potius affectati videntur, adeò gravem aliis ferunt authoritatem, ut superbiæ titulo (cùm verè non sint) odiosè vestiantur, non enim sic venustè ducunt præcepta, quàm vadit ipsa natura, *neque potest ars semper tam esse vigilans & attenta ad omnia, quin sui interdum obliviscatur.*

Falluntur item in consequentia, qui aliorum mores & facta dum imitari sibi proponunt, eundem rerum eventum quem illi habuere obtendunt; cùm id fieri verè non possit, non enim tam facilè sit ad punctum aliena imitari, quàm alteri facere

cere ſua. Fefellit rei ſucceſſus Pompejum, cùm & Syllam imitari & idem aſſequi quod Sylla ſibi ſtatuiſſet. *Potuit Sylla? Ego item potero.* Cùm ingenium Pompeji & rationes agendi à rationibus Syllæ procul diſtarent, Sylla igneus extra reſpectus rebus inceptis inſtans, & pro ferocia factum vehementer urgens, Pompejus ad reverentiam legum ſe accommodans, virtutis memor, moribus gravis, ad Majeſtatem & famam omnia componens, ideóque tanto inceptu ambiguus, nec finiendo validus, Pompejo eadem potentia, ſed non idem qui Syllæ auſus, Sylla ſanguinariis facinoribus à natura accommodatiſſimus, Pompejus civilior naturâ, non contra cives ſed pro civibus audens. Hoc igitur in ſequiore ſenſu, quid ſi exempla recti ſequi debeas? quæ pluribus præceptis opus habeat. Quæ non ideò recenſui quaſi magnorum virorum imitationi ſuccenſeam, ſed quod difficilè ſit per omnia naturam aliorum imitando aſſequi, & eodem ſucceſſu gaudere, imò potius in his imitationibus evenit, ut cùm ad aliorum exempla nos totos componimus, aliena non aſſequamur, noſtra quæ congenita ſunt confundamus, ut gratiam factorum perdere ideò neceſſe ſit & agendi venuſtatem, dum *niſi ſuâ rectè vadit quiſque viâ*. Hinc proxima ratio eſt, quod etiam præcepta librorum Moralia &

Politica, in quibus desudavere varii probati scriptores, verius pro illis dicta sint ad perficiendum, qui à natura ad virtutem proni & faciles, quàm ad rectificandum eos, qui sunt naturâ vitiosi, imò duri. Quidni enim prope frustra, Naturâ Melancholico exempla & præcepta suggerantur morum amœnitatis, leviculo Gravitatis & Constantiæ, crudeli & sanguinolento Clementiæ tum Mansuetudinis, Naturâ igneo & pro impetu totum agenti Cunctationis, fastuoso Civilitatis aut Comitatis, avaro Æquitatis & mitius aliena appetendi, Parco, Munificentiæ & Liberalitatis, Prodigo, Frugalitatis aut Parsimoniæ, demum naturâ timidis, frustra ingeras præcepta Magnanimitatis tum Audaciæ; etsi enim per aliquos igniculos virtutis ad honestatem impellantur, cùm tamen aut perficere malam naturam, aut vincere, imò exuere non possint, quasi lassi in opere, desinunt, iterum ad naturam redituri. Non tamen officiant nobis præcepta (imò valde prosint) quæ à lectione librorum parantur, si non planè, saltem ad tempus, imò si non de toto, saltem in parte ad meliorem frugem & normam virtutis ut reducamur. In illis verò quæ nobis non à natura, sed magis per errorem aut ignorantiam, tum per consuetudinem sensim contracta sunt vitia, ferè per præcepta & Monita

nita proborum scriptorum corrigantur planè volentibus, maximè verò per exempla honesti: frustra incusamus infirmitatem naturæ, cùm etiam feras cicurari videamus, & in naturam molliorem mansuefieri; vel si difficultas omnino occurrat in nobis aliqua, loquatur quisque sibi, quod *Seneca* de superando *Dolore*, nos de corrigenda natura nobis persuasuri. *Pauci naturam superare potuerunt? simus ex paucis*, luctemur, vincemus, gravius est quædam incipere, quàm perficere incepta; tum illud, *Nolle in causa est, Non posse prætenditur.*

Sed tandem ad propositum redeo.

Non virtutes modò sed quædam etiam vitia minus aspera videntur, quæ congenita sunt naturæ alicujus, quàm quæ ab ipsa suggeruntur & invalescunt militiâ; mirum subinde videre superbiam aliquorum (dum eam ad legem quandam componunt) authoritatis speciem apud rerum ignaros habere, etiam nonnullis irasci cùm sit proclive, sed quodammodo decet, blandiri, mentiri, & fallere quibusdam in jocum vertitur, imò à quibusdam decipi levius habemus, quàm ab aliis, ut aliqua tandem flagitia in quibusdam acceptiora sint, apud alios nimis odiosa habeantur, prout alicui cum natura veniunt, aut per tristem contumaciam apparantur. Ex eo-

dem fonte non incuriosè aliquibus observatum; *Gallorum* insolentiam plus adamari,cùm sint civiles & convictu amœni, quàm Hispanorum modestiam, dum sunt tristes moribus, aut potius superbi. VIRTUS tamen lenociniis potior semper est, *etiam qui non sequuntur eam, vident*: Lenociniis sonus, virtuti pondus inest.

XIII.

DIVERSIS INGENIIS,

Diversè utendum;

Qui non valet in uno, præstat in altero.


Ectè statuerit rem, quisquis assimiliaverit Principem statuario, ut enim statuarius notam artis haud dubiò ferat, si aut brevia afformaverit crura corpori protenso, aut immersam intra brachia cervicem erectæ staturæ, aut gracilem ventrem adsculpserit diducto pectori, vel quæ illa sint regulatorum membro-

brorum dehoneſtamenta. Sic Princeps miniſtrorum ſuorum haud gnarus ingeniorum (quos & quibus negotiis præficiendos velit) ſæpe nauſeabundus ſit in ſucceſſu, dum non ad intentum ſuum res fiunt, idque non vitio eorum qui gerunt (quid enim illi faciant plus? quàm poſſunt) ſed vitio Principis, qui res agendas non ad miniſtrorum ingenia, ſed prout obtruduntur ad ſortem vocat, ut verò aliqui illos ipſos rei exequendæ aptiſſimos ſtatuunt, qui conſilium ipſum dedere, quia fidenter & ſtudiosè aggrediuntur rem effectu probandam, quam ſuaſere ipſi, multò magis proſit, ſi pro ingenio cujuſque negotia committantur. Sic *Poppæus Sabinus* (teſte Tacito VI Annal. *à Tyberio maximis Provinciis impoſitus, nullam ob eximiam artem, ſed quod par negotiis, neque ſupra erat*, imò forſan, quia non fuit infra.

Opportunum hic dicere, quomodo Princeps ingeniis miniſtrorum utatur, nullum verò ingenium eſſe quod non ſit uſui, nullum aſpernetur Princeps; ſicut in opere artis aurificiæ, parvus aut magnus adamas ſit (modò compoſitè operi inſeratur) ſuum tamen monile decenter ornat, ſic nullum ingenium in contextu regiminis, quod ſuum pondus non mereatur, ſi aptè utaris & ponas. Uti plantis ſic ingeniis non eandem Deus dedit naturam, tamen per diver-

ſa bonam, aliæ plantarum conſtringunt, aliæ laxant, aliæ ſiccant, aliæ humectant aut nutriunt, aliæ lentius, atque aliæ violenter agunt, omnes tamen ex arte Medici temperatæ valent, etiam ingenia hominum pro varietate negotiorum, ſic vel aliter accommodando, transferendo, prout in rem ſerviunt mutando, rectè valebunt. Dicam amplius, nec operariis eadem eſſe inſtrumenta, verùm acuta, obtuſa, longa, lata, brevia, punctim aut cæſim uſui, magna, parva, recta, incurvata, tamen omnia ſuo loco & uſu operi commoda, & in promptu jacent; ſic diverſis ingeniis Princeps opus habet, prout negotia ſunt quæ in actionem veniunt.

Primùm igitur in Sago, diverſa negotia ſe offerunt; ergone qui non valeat in uno, ſtatim eum abjicias per omnes? minimè; ſed potius in aliam occaſionem ſervabis, hunc ſcribe inter pedites, transfer illum in turmas, ſunt enim alii pedites, atque alii equo boni, alii globatim, alii per ſingulos pugnantes valent, ille hoc genere armorum, atque ille altero. Tacitus (*de Sarmatis Hiſtor.* 1.) ait: *Mirum dictu, ut ſit armis Sarmatarum virtus velut extra ipſos, nihil ad pedeſtrem pugnam tam ignavum, ubi per turmas advenêre, vix ulla acies obſtiterit.* Alii deinde graviori armatura pugnantes, ſtatariæ pugnæ ſunt apti, aliqui tantùm fur-

furtivis velitationibus & celeritate per ſtratagemata clareſcunt, imò cùm aliquibus unica non ſucceſſit pugna, occaſione altera tantò magis probavêre ſe Imperatori ſuo, quò magis à conſcientia præteritæ ignaviæ in fortius factum urgebantur, fortuna anceps eſt, tùm vigor animi in optimis nonnunquam ſubſidet. Item alii contra hunc hoſtem, alii contra alterum valent, aliter enim contra Scythas & Turcas bellatur, aliter contra Moſchovitas, atque aliter contra Germanos, dùm alii velocitate equorum pugnant, alii robore peditum abundant, aliis celeritas, aliis cunctatio pro ratione bellandi ſunt, in alios impetus, in alios mora valet, in hos multum ex vi, in illos plus ex arte utendum. Campo deinde hic & apertis armis commodus, acquirendis ille aut retinendis munitionibus, tum regendis machinis bellicis, & jaciendo ex arte vallo melior eſt, demum alter maritimo bello, terreſtri alter uſui: imò alter habet conſilia *Pacis*, alter *Belli*, cautus magis aut audax, alter vitandis, alter propulſandis cladibus & bello præſtat, alius velut *Scutum* populi, alter eſt velut *Gladius* prout *Fabium* & *Marcellum* per virtutes belli diſtinguit Plutarchus. Demum ſi per omnia manu agere non ſit alicui promptum, conſilio tamen dando probatur, vidi aliquos, cùm agendo

do segnes essent, verùm consilio (de summa rei suggerendo)non contemnendi fuêre, quo *sæpe plura quàm armis expediuntur.*

Multi deinde in Toga se offerunt, quos primo aspectu posthabitos velut inutiles abjicias, secus æstimandos, si altius mentem inspexeris; Nam ingeniis quibusdam velut auro inest sua scoria, quod è fodina extractum ignari ne aspiciunt quidem, & velut vulgarem glebam contemptim pede protrudunt, periti verò diligenter servandum curant, non quale in præsens, sed quale ex arte utentium futurum sit, æstimando, sic ingenia aliquorum valent, non prout per se sunt, sed prout rebus scitè accommodantur, alia magis, alia minus, tamen non inutiliter prosunt, cùm angues etiam aut viperæ si non ea parte qua nocent, sed qua prosunt capiantur, conficiendæ theriacæ & unguentis serviant. Sunt igitur aliqui in deliberationibus circa statum, alii in re judiciaria boni, illi in domesticis, reliqui quæ cum exteris negotia tractanda veniunt, valent; in bellico consilio, in togato, in fœderibus sanciendis, in legationibus agendis, in proventibus perquirendis & quæstura præstant, alter exequendo, alter docendo, re hic, verbo ille, imò nonnulli, quibus eloquium haud promptum est, rem tamen ipsam sine verborum apparatu, sed pro naturali judi-

judicio ſimpliciter loquuntur, non *quare*, eloqui per contentionem valentes, ſed *quid fieri debeat*, digito planè monſtrantes. In quam rem Principem lynceum eſſe oportet, ne aliquorum fidat ornatis in ſpeciem ſermonibus, quibus (cujuſcunque rei quæſtio inciderit) theatrales Orationes ſuper quavis re proferre in promptu eſt, dicteria & ſententiolæ fluunt, rationes conquiruntur, tamen imponunt rebus verius (dum pro affectu loquuntur) quàm rectè ſuadent, hi dum eloquio prævalent, & prompta ratione efferuntur, re tamen ipſa inferiores ſunt, eloquentiores, ſed non prudentiores, imò nec rectiores, dum pro privato loquuntur ambitu; quæ peſtis adeò tacito ſenſu intra conſilia ſe ingerit, ut vix eam altioris vir judicii advertat & caveat, quia nondum palam eſſe cepit inter exempla nociturorum, præſertim verò circa conſilia bellica, ubi timidis Oratoribus ratio in promptu adeſt, ut pugnare nunquam, paciſci ſemper honeſtum, licèt per iniqua pomposè ſuadeant, quò magis verò authoritate in vulgus valent, eò plus conſilio nocent, dum aut pro ſuo ambitu, aut pro meticuloſitate rebus & vulgo imponunt, quàm ut pro publica cauſa loquantur; Militaribus autem viris ſatis eſt rem verbo dicere unico, imò parcius loqui, plus agere, loco facundiæ illis eſt.

Ad

Ad eorum ingenia venio, qui, *cùm virtute ſint præditi, non tamen extra aliqua vitia ſunt*, ut hæc ipſa, in gratiam bonæ virtutis diſſimulare ſuaſum ſit Principi, qui enim non valet in uno, præſtat in altero, nemo ſimul per omnia bonus, cùm natura hominum ſemper aliquid ex imperfecto habeat, eo tantùm penſatur, ſi non per omnia malà ſit.

Promptus aliquis conſilio, cum ſit alias pro mobilitate ingenii *inconſtans, vagus, ſecretorum impatiens?* perquire conſilium, ſed quod in rem exequi debeas? tacitus apud te ſtatue; *Igneus* ille tum *Moroſus?* ſemove à convictu & ſeparatum in parte habe, tunc aſſumendum & adhibendum negotio, dum ſeriò res aguntur. Hic deinde *ingenio hebes*, nec per conſilia danda probatur, verùm exequendis rebus ſatis cordatus & promptus? utere ea parte, quâ valet. *Subinſolens ille, ingenio aſper, ſubarrogans*, non tamen poſthabendus ideò, rebus enim quæ cum gravitate aguntur audendo, inſtando commodiſſimus; Potius igitur talia ingenia medius inter gravitatem & comitatem humaniter tractet Princeps, (ſi præſertim ſint è magnis) imò aliquid indulgeat, quo faciliores ad reliqua habeat per molliora cicuratos, verè dictum: *Qui neſcit diſſimulare neſcit regnare*, etiam boni Parentes ſubinſolentibus filiolis

lis aliquid conceduut, ferunt ingenia moroſorum, dant veniam fragilitati, & condonant nonnihil petulantiæ, ut ſenſim ſine ſenſu ad meliorem frugem reducantur, quàm ſi aſperè tractati recalcitrent planè, excuſſà Parentū aut authoritate aut amore. Multò verò magis conſultum ſit Principi, ut indulgeat civium ingeniis præſertim in libera Republica natis, faciliores poſtea habiturus, malit imò ſponte concedere quod negare difficulter poſſit, ut potius gratiæ ſuæ debeatur. Plerumque verò comperi, generoſioris eſſe mentis, imò plus ex uſu Principis in poſterum valituros, qui primo aſpectu duri tractatu videntur, quàm qui ſtatim & facilitate placent, nam hi molles quidem naturâ, ſed etiam leves & raró fide in Principem conſtantes, illi durius quidem reducuntur, ſed virtutis quam ſemel concepere tenaces; equi, quo generoſiores & fortiores naturâ, prima vice excutiunt ſeſſorem, ſæpe recalcitrantes ſuis equiſonibus moleſti, qui verò ſtatim flexu molles, ſæpius poſthac ignavi & deſides.

Dicam adhuc: Amas convictu amœnos, nec *Melancholicos tum taciturnos abjice*, hilaritas propius levitatem, Melancholia propius Conſtantiam eſt. Melancholici ſæpius conſiderativi, judicioſi, dum verò toti intra ſe contracti ſunt, majore vi ſuper omni

omni re expedienda secum intrò deliberant & agunt, quàm si sint per exteriora effusi & distracti, levitas illa plerumque est, quam hilaritatem vocamus, aut gravitas morum, quam Melancholiam nuncupamus.

Adamasti placidos? nec *subcholericos* improbabis, nam ad urgendum negotium sunt accommodatissimi, non frustra herus ille ex omnibus suis ministris præponebat Cholericos, quasi nihil habituri essent de activitate, qui nihil haberent ex cholera, flegmatici desides plerumque & otiosi, imo nullius frui, dum eos falsò nomine quietos, tum placidos vocamus, libenter quiescunt, dum nihil facere sciunt.

Ab Cholericis haud remoto gradu distant *audaculi*, *ignei* tum *subfuriosi*, qui certè prosunt ad incutiendum aliis terrorem, si præsertim res agenda veniat cum protervis, quibus ad opponendum, nisi ejusdem ingenii ministros habeas, molestiam ferre debeas ipse, nec quod voluisti assequare, si desint tibi perficiendæ rei instrumenta. *Audaces igitur* (ut alienis verbis in rem utar) *adhibe ad expostulandum, blandos & graves ad paciscendum, astutos ad observandum*, (præsertim si cum exteris aliquid negotii agendum interveniat) *protervos & parum absurdiores, ad res quæ aliquid ex iniquo habent transigendas.*

Ne-

Neque eos omittam qui lateri Principis dum perpetuo hærent, oculos & totum ejus affectum in ſe convertunt: Ergone obliviſcatur eorum Princeps qui remotius abſunt? modeſti potius ſunt dum accedere verentur, vocari quàm ſe moroſè obtrudere malunt, illi verò ſæpius intruſores ſunt, quàm obſequii in Principem diligentes, fortunæ Principis magis quàm Principi amici. Naturam ſolis ſequatur Princeps, qui non ea tantum illuminat quæ prope ſunt, ſed quæ ſubtus terram jacent, calore fovet & producit, etiam Princeps in omnes æquè propenſus ſit, tam qui prope, quàm qui ſunt à longe, imò ſponte eos accerſat, meliores negotiis habiturus, quàm forſan ſunt, qui alias ſpecie diligentiæ ſponte obtruduntur, non quia promptiores obſequio, ſed quia ardentius ex omni negotiò lucrum petunt. Nulla ætas ſterilis virorum eſt, id modò diſtinguit, dum Princeps bonos ſtudio quærit, aut ſecus eos ſolum videt, qui è proximo obtruduntur, qua ratione in habendis bonis miniſtris plus caſus aut ſors, quàm electio poteſt, ideóque ſæpius fallit.

Laudas frugales, nec *prodigos* inter inutiles miniſtrorum habe, dum enim pro luxu privato prodigunt ſua, quid ſi alicui ſpecioſo officio pro dignitate Principis adhibeantur? imò potius in eam partem ſedulò

dulò dirigendi: utere his pro legationibus ſplendidis obeundis, pro excipiendis exterorum perſonis, omni humaniori cultu & impenſa tractandis.

Probas ſobrios? Nec eos abjice, qui *dum erudito luxu inſtruunt menſas, & hilariori indulgent Baccho*, quaſi in ſolam amœnitatem convictus intenti, in res ſerias incurioſi, facilè expiſcantur, tum occulta animorum arcana ab incautis & ſuſpectis eruunt, quæ alias per ſeria recondantur, & aſſequi difficilè ſit; tales plerumq; caſtrenſibus negotiis exequendis valent, delieniendis aut capiendis militum animis, quaſi pro libertate militari per fiduciam ſine ſcrupulo totum agentes. Non leviter profuit Regi Galliæ ſui miniſtri (ſubinſolens quidem, ſed pro tempore neceſſaria) in liberum Bacchum indulgentia. *Fortè ſtipendiarium è Germania militem*(Barclaus Euphormionis Satyrici parte IV) *Tribuni in Gallias & ipſi Germani adduxerant, Regi operam ſuam navaturi. Ex his unum vir inter Gallos clariſſimus vocavit ad cœnam, gnarus utique quàm pretioſum eſſet amicitiæ pignus quod bibendo cum Germanus ſancitur. Itaque hominem largiori potu invitavit ad hilaritatem convivii; crebræ poculorum formæ & bibendi rationes commeabant, cùm Germanus in experimentum benevolentiæ quam hoſpes præferebat, laceſſito Gallo præit, exſiccatque*

ingen-

ingentis modi ſcyphum, neque Gallus conterritus, mirantibus nobis ſurgit, &, ut ſcias, (inquit) te in amicum incidiſſe, non modò conditionem quam feciſti non recuſo, ſed ecce & in benigniſſimam litem mutua vice laceſſo. His dictis poculum primò in quod erat invitatus perpetuo ſpiritu haurit, idemque iterum ingeſto mero plenum in hoſpitis gratiam jam tumentibus membris infundit. Delectatus tàm prolixi amoris indiciis ille Tribunus, in pedes vix tùm patientes oneris ſurgens. Tu verò inquit nec putes collocatam in ingratum tantæ amicitiæ operam; ſcis non parvam militum manum ſub ſignis meis eſſe. Hos ego totis duobus Menſibus in caſtris habebo, veſtro ærario nihil graves (quandoquidem id jam temporum iniquitas abſumpſit) ſtipendium deinde ſi placet & licebit perſolvetis. Ad tam grandem unius poculi mercedem, tùm ſubito quidem horrore ſtupuimus, ſed multò deinde amplius cùm promiſſo fides eſſet. Hucuſque Barclaus.

Quid pluris? verbo dicam; Nullum eſſe ingenium quod non ſit uſui, ſi ea parte utaris & capias quâ bonum, non quâ nocet, dum nec roſas ea parte capis, quâ pungunt, ſed quâ contactu molles, nec gladium ea parte prehendis quâ ſcindit ab acie, ſed quâ manubrium habet; demum apes non ideò abjicis & inter inutilia rei œconomicæ computas quod aculeum habeant,

beant, dum ſubinde ſuave mel portant; mordent ſanguiſugæ dum proſunt, etiam aliqui hominum cùm non fuerint aliquatenus ad guſtum, occaſione altera utiliſſimi ſæpe in rem noſtram fuêre, ac erunt, vel ſi abſint, ingens ſequi debeat privatim publicéque rerum jactura.

Sic utatur Princeps miniſtrorum ingeniis pro varietate negotiorum accommodandis, veluti periti venatores, pro cujuſque natura canes venationi adhibent, alios feris indagandis, alios ſequendis, alios deinde falconarios, alios aquaticos habent, ſic ingenia miniſtrorum, velut inſtrumenta varia in parte ſepoſita habeat Princeps pro natura cujuſque accommodanda, velut negotia exequenda ſe offerunt. Sed hoc facilè utcunque ſit, dum Princeps perſpecta ingenia ſuorum habet, pro capacitate (prout opus) iis uſurus, verùm illud multi laboris: Quomodo illa probet prius & pernoſcat? cum amant plerique tegere vitia & ingenium ſubdolum occulunt, prætextu virtutis prima obſequia promptè expedientes, ut gratiam Principis aſſequantur, mox erupturi in malos dum ſumma adipiſcuntur; Varia variis in eo placeant, mihi alibi pauca dixiſſe, aut hic unicum inſinuaſſe ſufficiat, videlicet; ut Princeps *Non ſaltu, ſed per gradus* à parvis muneribus ad majora ſenſim miniſtros provehat,

vehat, non opinando de virtute alicujus, ſed per diverſa quemque experturus: Quæ ſola electio miniſtrorum minimè fallit, non enim tam ſagax ſit miniſter, ingenium ſubdolum tegendo, quin illud prodat, per diverſa officia (imò tempora) vexatus. Si verò fiat electio à ſola opinione de virtute alicujus, tum ex applauſu vulgi, vel propter aliquod obſequium promptè ſemel præſtitum, fallitur ſæpius Princeps, nam *multi quoadusque privati ſunt, majores privatis* & magnis apti muneribus *videntur*, cùm non ſint, imò multi non videntur, cùm verè ſint, quos actio ſola declaret viros, ſi adhibeantur; Differunt aliqui prudenter & conſilia ſuggerunt, cùm nec promptè agere, nec cùm prudentia exequi ſciant, item alii ſecus, cùm non ſciant grandia loqui, verùm intra modeſtiam verbi, opere multa præſtare poſſent. Boni ſunt nonnulli in paucis, in pluribus verò hebeſcunt, cùm ſit diverſum præeſſe uni, aut regere plurimos, incipere reliqui & res tentare alacres, perficere nequaquam poſſunt, unde prima judicia de hominibus fallunt nos, niſi per tempora & res diverſas ſint probati. Adde (quod maximum) ſciunt aliqui varia, tum probè ſe gerunt etiam in maximis, ſunt tamen velut vulgares nautæ, tantùm in pacato & in impedito regere ſcientes, dum tempeſtas adeſt &

Syrtes occurrunt, ſtupore rem expediunt, & confundunt verius non agunt, cùm non confundi in adverſis, nec decipi proſperis, verùm conſtanter agere, unicum magni animi, nec fucatæ virtutis ſignum ſit. Sola igitur provectio per gradus declarat & probat miniſtrum, nec fallit Principem (præſertim circa officia quæ magna ſunt, aut à quibus miniſtrum amovere, ſi in negotio diſpliceat, poſtea multi ſit laboris, imò multæ moleſtiæ & periculi, & ſimul Principem levitatis arguat.) ſecus agendo quid mirum? ſi fiat aliquando, ut Principem *pœniteat feciſſe hominem.* Verùm ut practicè res brevibus pateat. Facturus belli Ducem Princeps, eum præſertim legat, qui & gregarium bene egit, & decurionem, dein Centuriatum, & majores legionum Præfecturas per gradus probè exegerit, qui per velitationes, per ſtatarias pugnas, contra gravem peditatu, aut equorum velocitate pugnantem hoſtem, defendendo ſua, aut obſidendo aliena, demum per omnia pedeſtris & equeſtris militiæ momenta, in proprio, in hoſtico probatus ſit, unde Princeps experiatur facilè belli adminiſtrum, diſciplinam militum ſervare ſcientem, in adverſis conſilio & agendo promptum, in hoſtico non rapacem, verùm ad gloriam ſui Principis & populi totum accommodantem, ut

uti certè sunt omnia ritè perspicienda in eo, qui Dux belli creandus sit. Jam verò in *Toga* probet itidem & provehat Princeps ministrum, per minora primùm obsequia, per Secretariatus, Commissiones, Legationes, sed maximè per consilia danda in regimine particulari, & per universum, conservando potius sua, quàm insolenter appetendo aliena; dein avertendo aut etiam decernendo bello, fœderibus sanciendis, societatibus exterorum parandis, adversis molitionibus (tam ab intra quàm ab extra) maturè prævidendis, nec manu semper, verùm consilio sæpius sine sensu amovendis, probatum; demum naturam sui status & populi scientem, per suorum & exterorum Historias versatum, persuadendo potentem & *promptum*, administrando fidelem, donis & corruptionibus impervium, secreti patientem, privata publicis posthabentem, conscientia pacatum, *Ingenio* (quod maximum) *modestum*: Probet inquam per minora munia & legat ministrum Princeps, nec errabit [Clientes etiam aut amici (antequam in confidentiam intimiorem admittantur) per tempora & occasiones prosperorum tum adversorum sensim probandi erunt, ne pœniteat creditæ amicitiæ & secretorum; satius cunctatione in eo peccandum suadeam, quàm properantiâ.]

In reliquo dicere & mirari proclive eſt; Cur ſit? quia paſſim in aliquas contemptibiles perſonas, favore & intimâ confidentiâ Principes propendeant. Sic fuit *Sejanus* apud Tyberium homo non ex æſtimatioribus civium lectus, verùm aucupandæ gratiæ Principis arte ſola eminens., & alios alibi aut legas, aut videas prævalentes gratiâ Principum, Eunuchos, Muſicos, tonſores, pigmeos, ignobiles, & nihil altum ſpirantes libertos, qui occulto in gratiam Principis fato plerumque antehabentur illis, qui majorum dignitate & ſua virtute inter cives eminentiores. Cujus rei cauſam dare in promptu eſt. Cùm enim ſervilis ingenii ſint miniſtri, æquum aut iniquum (quidquid à Principe imperatum fuerit) pari alacritate & fide exequuntur, vel quia ab ignobilibus & nihil altum ſpirantibus, nec periculum ſibi (non enim inſoleſcere tàm facilè promptum illis eſt) nec cenſuram factorum ſuorum metuit Princeps, quia *honeſta ac inhoneſta æquè laudant*, ut proinde iis præſentibus, liberius ſecretiora negotia tranſigat Princeps, quàm ſi adeſſent generoſioris ſpiritus miniſtri, quorum aſpectu (conſcius leviter dictorum, factorum) Princeps mordeatur, licèt taceant. Vel denique quod maximum, cùm illi mentis infimæ liberti, ſint plerumque conſodalibus ſuis contemptui,

ptui, totos se in obsequia Principis mancipant, ad ostium & limen interioris cubiculi excubantes, ad quemque nutum intenti (præsertim si sit valetudinarius Princeps, aut secretiori secessu multum gaudens) ut proinde diligentia obsequiorum affectum Principis necesse mereantur, secus verò illi ministri, qui sunt altioris mentis, tum amœnioris convictus, cùm se acceptos vulgo & æstimari apud consodales vident, sæpius in eorum conversationem abstrahuntur, ut majorem partem obsequiorum Principis (per diversa distracti) absentes negligant. Principi verò (imò Hero cuique) non id maximè gratum, cùm sit eloquio facundus, conversatione amœnus, cultu splendidus, licèt ne illa quidem in ministro sint ingrata imò æstimatu digna, verùm illud prius in cliente probandum quæritur, ut obsequii sit diligentissimus, in omnes occasiones sui heri & nutus intentus, imò (ut vulgus ait) *ad limen ipsum excubans, nec abstractus*, quò eò lubentius depressioris mentis liberti præstant, & totos se sub placita Principis, *sine ulla exceptione propriæ libertatis* abjiciunt, quò magis obsequium suum à Principe acceptari vident, à sodalium verò convictu exsibilantur.

XIV.

REFUTANTUR SCRIPTORUM QUORUNDAM SCOMMATA,

Malignè aut per Levitatem in Polonam gentem jacta.



LEgo & rideo ſæpe ſæculi moderni quoſdam ſcriptores, dum leviter properi ſunt ad ſcripta, tum ad typum, ſcioli magis quàm ſcientes, cùm verò à voluminum magnitudine non ab operis elegantia tum veritate narrationis famam aucupantur, magis nomini ſuo notam inurunt, quàm ſi tacuiſſent orbi ignoti, ſimul enim officium ſcribentium proſtituunt, ad aram Vulcani commodiſſimè dedicandi, non perinde eſt ſcribere multa & bona ſimul; Nonnunquam indignor inſolentiæ, interdum illudo levitati, ſæpius compatior ignorantiæ, ſi tum aliorum, tum noſtra non probè norunt, dum procul abſunt, taciturі tamen potius quæ dicere

dicere non sciunt. Rectè quidam: Mendacia antiquorum Scriptorum modestiora esse ait, modernorum Historicorum (ut ipsi ajunt) veritate, cùm enim non bene re perpensa, varia leviter & effusè narrant, eò ventum est, ut quidquid laude aut vituperatione dignum, non naturâ suâ id, sed vano scriptorum testimonio fiat, qualemcunque formam facto dederint, nec qualis quisque sit, sed quàm amicos aut probos scriptores habeat, sufficiat. Rectè hos scriptores comparem Annalibus *Tamusii*, quibus lepidè succenset *Seneca* (cùm de brevi sed plenâ operum vitâ disserit, Epistola XCIII) *Non ut diu vivamus curandum est, sed ut satis, longa est vita si plena est: Quid illum octoginta anni juvant per inertiam exacti, non vixit iste sed in vita moratus est, nec serò mortuus sed diu, octoginta annis vixit, interest mortem ejus à quo die numeres: &c. Paucorum versuum liber est & quidem laudandus atque utilis: Annales Tamusii scis quàm non decori sint & quid vocentur, æquè est vita quorundam longa, & quod Tamusii sequitur Annales.* Parcam famæ, ipsumque nomen scripturum calamum abstraho, modestior in eorum nomina, quàm ipsi in meam gentem. Ridet utique non horret scopulus assurgentem vim fluctuum, qui dum trudunt, protruduntur potius, & franguntur ipsi: dum

frangere volunt, lambunt non percutiunt rapem, nec ranunculus deglutiat bovem, licèt hiantem protendat buccam, nec isti blaterones accusent aut mordeant nostra, qui potius suam levitatem & insana judicia excusent, si modò satis excusare valeant. Non igitur quàm vana illi narrent, sed qualiter se res apud nos ex vero habeant, brevibus expedio. Vestitus nobis Polonis est, non ad eum modum quali nunc utuntur Occidentales Europæorum populi, sed propius normam, quâ dudum antiquus orbis utebatur, clarè testantur Historiæ, picturæ, Numismata veterum, neque modernum Gallicum aut Germanorum vestitum justè Christianorum dicas, nec item nostrum barbarorum, uti lingua sic vestis, gentem à gente, non fidem populorum distinguit, æquè nostra talaris ad gravitatem togæ composita, quàm Occidentalium accisa & curta vestis, Catholicum tum Politicum virum non dehonestare sed ornare potest, tam sub nostro tonso & subraso pillo non calvescunt ingenia, quàm aliorum pillosus vertex, mentem sanam cum judicio maturo tegere potest. Habuit dudum Polonia viros, habet in præsens, & per Dei gratiam erunt, sunt nobis ingenia non lepida, sed solida, non acuta, sed pro candore gentis recta, non ad ostentationem, sed quantum opus est instructa,

Vestitus Polonorum.

Ingenium.

ſtructa, dumque minus præſumunt, pacata; Non ſcimus ſuperflua, verùm ſcimus prout uſui neceſſe habemus, illa ſubtilitas ingeniorum, plerumque præſumptuoſa eſt, ſæpius verò inſolens, hinc figmenta in ſtatu Togato, ſæpius verò circa Divina, unde procul abſunt noſtri; Pacata exinde nobis eſt toga; Deum item non per curioſitates quæſtionum, ſed candida ſimplicitate ſcimus & colimus, uti Æternum & Bonum, non habet Polonia *Vitembergam & Lutheros, non Genevam & Calvinos*, aut quæ alia ſint Pſeudo-Doctorum monſtra, nec immeritò Orator ille Nobilis * nomine Vladiſlai IV Regis Romam miſſus, coram Pontifice gloriatus, quia POLONIA MONSTRA NON PARIT. Hinc ſequitur, quia verus nobis ineſt ſancti Numinis cultus & quæ ſunt ſacrorum; vidimus occidentem, ſcimus & noſtrum Polonum Septentrionem, ut extra inſolentiam verbi dicere liceat, Occidentales in cultu ædium ſacrarum eſſe liberales, Polonos in ea ſanctæ liberalitatis parte planè effuſos, & Occidentalibus per altarium ornamenta, ni æquales, certè ſuperiores.

Religio.

* *Georgius Oſſolinskius.*

Armis ſectoriis non punctualibus utimur Poloni, videlicet arcuato gladio, quem *Acinacis* nomine vocamus, quom ultas gentes domuimus, utque Polonæ acinaci

Arma.

in posterum indefessa sit virtus, Deus per gratiam providebit, dicerem victoriosa bella in Germanos, Hungaros, Moschovitas, Suecos, Turcas, Tartaros, & alios quosvis, nisi brevitas scripti abstraheret, tum præsertim ne dentem invidiæ moveam aliquorum, si quædam punctatim pro gloria nostri memorem, verùm Historici pro me interim loquantur, prout credo modernum bellum *Polono E-pæum*, etiam erit pars magna, nec incuriosæ ad posteros Historiæ, cui scribere tandem vacabit.

Urbes Urbes, non passim ad Occidentalium cultum nobis ædificatæ, non enim hic in urbibus habitant Nobiles, sed disgregatim, prout alicui rus, nemus, collis, & planicierum amœnitas placuit, sedes sibi figunt & arces, inde cum raræ Nobilium videantur domus in urbibus, adest quidem, sed rarior per solos cives ædificiorum splendor, malim utique decus libertatis quàm urbium, hoc enim inter potissimas causas, quod hucusque libertas populi vigeat, cùm non simul; verùm per rura & curias disgregati manemus, deest enim inter disgregatos contagiosa factio, rari in turbas cœtus, nec æmulatio, nec offensa ex separato, nec item adest jurgium, nec molestus vindex; remoti à Principe, etiam à censore tum ab of-

Status Politicus.

offensa; vita liberior & magis quieta. Imò ab eadem causa rarior hic est hæresis, si enim peregrinum dogma invehatur, non tam facilè per disgregatas Nobilitatis curias volitet, nisi statim novitate rei evanescat, quàm si in gravi aliqua populo urbe, velut nocitura pestis contagione serpat primò, mox totam occupet radicata, atque uti hæc, sola separatione, nobis etiam multa in præsens Reipublicæ nocitura, facilè vitantur, dum nisi vocati in commune, convenire abstinemus. Urbem Venetam per suos canales in diversas dissectam regiones, non tam facilè in cœtus & turbas coalescere posse, modicam quidem, sed inter potiores publicæ quietis causam à quibusdam poni, quid mirum?

Non diffitear in quibusdam Polonorum partibus plebeculam esse asperioris vitæ & morum, imò propius simplicitatem, sed uti hominem homini, etiam gentem genti conferre si liceat, tum plagam orbis, alteri plagæ, fateatur quisque necesse, quia Europæus occidens dudum ante fuit habitatus (exuta morum prima barbarie) & in cultu populi, ingeniorum, studiorum, urbium, Provinciarum, ferè jam consenuerat, cùm primum noster Septentrio capiendis hominibus aut noscebatur, aut parabatur. Hic illa proclamata *Hercinia Sylva*, vastitate horrenda, ferarum *Mores*

potius altrix quàm hominum, nullus proinde habitator, ſed novella primum ſoli populique cultura; Eſſe utique velut homini ſic populis ſuas ætates, pueritiam ſubmoroſam, juventutem amœnam, viriles annos graves & cultos, ideóque Septentrioni noſtro adoleſcentiam primam agenti, fruſtra (niſi acerbus cenſor ſit) aliquis ſuccenſeat, dum præſertim ſatis recompenſat aliquam vulgi ruditatem, ingenuæ Nobilitatis morum & ingeniorum decora venuſtas.

Dominum in ſubditos. Verùm aliqui ab Occidentali Monarchia ſcriptores, in noſtram plebem tum ruricolas, abſolutum Dominatum, velut aliquid ignobile & horrendum nobis objiciunt. Quid ergo inde inferant? quàm ut nomine Monarchiæ & abſolutæ poteſtatis, vim Tyrannidis occludi velint, & proinde Monarchicum ſtatum (dum ſub ſuis Monarchis vivunt) tacitè lugeant, aliena ſub invidia aut titulo, accuſaturi ſua, dum palam loqui non licet. Acerba ne loquor? minimè; nam proportio eadem eſt, non perſonarum, ſed juris, dum quiſque è nobis Polonis, ſui vulgi & bonorum, parvus quodammodo & abſolutus Monarcha eſt. Etiam noſter Dominatus in plebeculam, intra leges conſcientiæ eſt, dum ſcit quiſque è ruricolis, quid operis ſeptimanatim, quid tributi annuatim dominis pen-

pendat, ut per æquitatem nil extorquere liceat ſupra. Si verò ſint aliqui æquitatis violatores, tam iniquo jure tyranni eſſe poſſunt in ſuos, quàm veſtri (ſi eveniant mali) in vos, cùm annales veſtri paſſim malos ac bonos Principes vobis fuiſſe palam teſtantur, eoque graviori in vos ſervitute, quo magis in ingenuos illa exercetur, noſtra verò plebecula, niſi ad inferiorem parendi ſortem nata eſt, nec totam libertatem vivere ſciat. Sunt aliis, ſunt item mihi pro mea ſorte (ſed magis per *Dei* gratiam, qui *Suſcitat à terra inopem*, qui *Eſurientes implevit bonis*) ſunt inquam caſtella, ſunt rura, ſunt ſubditi, cur ergo inſolentius meos habeam, cùm ſciam hos mihi datos à Deo, & me ſimul datum illis, illi mihi ſubjectionem, ego viciſſim juſtum in eos dominium (non extra leges conſcientiæ) debeo, utique nos etiam Poloni, Barbarorum & immanitatis nomina, non intra honeſta titulorum ponimus, æquè nobis virtus cordi, honeſtas decori.

Pro divitiis gentis non loquar, nec ſuperbus gloriabor, habeant ſibi alii quidquid in loculis volunt, nobis ſufficiat copia virorum inexhauſta, copia frumenti, ſalis, pecorum, ovium, piſcium, mellis, lanæ, cannabis, lini, equorum, ferri, plumbi, arborum, nitri, omnium ſuper- *Opes, Vires.*

 flua,

flua, adusque commodandum exteris abundantia, veræ & solæ ad vitam humanam, alendo, tegendo, tuendo, pace & bello necessariæ divitiæ, tum commoditates; tamen argenti ac æris fodinæ non desunt. Experta dudum (sed nunc præsertim) Europa, opes Polonas, cùm aut pro Polonia, aut contra, intra Poloniam (velut alibi dixi) magnis exercitibus tota concuteretur, cùm nec divitias Polonæ Cereris consumere, nec conficere viros, nec ferrum fatigare posset. Aliis gentibus quibus industria operum aut mercimoniorum instrumenta sunt opum, alieni & sui portus, naves, longinqua itinerum, creditor, fidejussor, huc & illuc commeantes tabellarii, demum venditor & emptor (ne reliqua opportunitatum commemorem) ad rem conferunt necessariò, quorum cursus si casu quopiam (ac bello præsertim) præcidatur, unius jacturam anni, aliorum multorum recompensa stabilire & in ordinem reponere vix potest, nostra Ceres si hodie langueat, altero anno parvo apparatu vomeris, iterum tota renasci potest, nam solâ terrâ (quæ cuique ad manum adest) instaurando opus habet, quò minus requirit ex adjunctis, eò citius (inter aratorem & terram paucos contrahentes) habetur.

Non producit fatear solum Polonum aroma-

aromata, vinum, sericum; Nostris tamen donis sine adminiculo cæterarum gentium abundè vivere possumus, aut nisi hæc ipsa exteri ad nos advehant, dona Cereris nostræ necessariò petituri, sibi magis quàm nobis injuriam faciunt. Adest exinde nobis solvendo militi pecunia, neque (ut forsan alibi) exercituum stipendia temporum oblivione, sed ære ex præparato ad assem solvuntur, cùm & solvere exercitibus, & super hæc donativa ex præparato dare sufficiamus, quotidiana ejus rei documenta præ oculis habemus, ut cùm minimum nummorum hodie Polonia (bello exhausta) habere videretur, invenerit tamen magnis exercitibus solvendo, auri milliones; vel si à penuria temporum desit tandem aurum solvendo, adest dives panis nutriendo, adest lana tegendo, adest ferrum armando, sunt viri portando, nec bellum proinde (defendendo sua) langueat: venditent alii sua quia satis mediorum habent ad comparanda ea quæ vivendo sunt, nobis gloriari sufficiat, dum ipsum habemus bonorum finem, prout ad vitæ serviunt necessitatem. Utique non aurum aut quidquid aliud (quæ sæpe miramur homines) *sed terram lacte & melle affluentem*, velut potissima terræ munera, promisit *Deus Israëli*; tum *Isaac* inter prima benedictionis dona *Pinguedinem terræ* precatus

Pecunia.

catus est suo *Jacob*. Est quidem plerisque gentibus sua annona, sed à Polonæ Cereris & aliarum circa rerum ubertate tamen diversa, cùm alii populi habeant (aut in parte, aut vix quidem) quod satis est, nós verò habemus per omnia, quod sit supra, nec eo bello diu sustinemus, quod nobis necessum habemus, sed ex superfluo, quod ultra abundè reservamus. Ipsissimam causam expendisse videtur Nobilis scriptor Hispanus (*Didacus Savedra Polit. Symbol.* XLIX.) dum præfert commoda divitis agriculturæ, omni argento & auro suo, quod Indiæ noviter repertæ in Hispanos largè effudêre; ait enim: *Nec ditiores in Regnis fodinæ, quàm Agricultura, norant illud Ægyptii, qui sceptrum sic efformabant, ut infernè in vomerem aratri desineret, volentes innuere, in eo potissimum, potentiam illius & amplitudinem consistere. Plus emolumenti acclivia montis Vesuvii latera adferunt, quàm Potosus mons cum intimis suis visceribus licèt argentiferis.* Et paulò post. *E solis pene terræ fructibus tam opulenta & locuples fuit Hispania posterioribus sæculis: &c.* Tum infrà. *Hæc incommoda sunt quæ Indiarum detectio secum attulit, ut negligatur agricultura spe illarum opum, eæ enim quas è terra colligimus, magis naturales sunt, certiores, & magis omnibus communes, quare agricolis privilegia concedere*

dere oporteret, eosque ab oneribus belli, aliisque eximere.

Cultura opificiorum non quidem est apud nos passim exquisita, partim quia non pro mediis ad sustentamenta vivendi, sed magis pro ipso fine, è vulgo quisque contendit & glebam vertit, ideóque (si verum dicere licet) industria operandi non excitatur, dum quæ vivendo necessaria sunt, parva opera ad manus habentur, partim quod *Deus* occulto quodam fato voluerit habere, ut etiam aliorum populorum industria nobis prosit, ne velut orbis incolæ separati dum sine aliorum adminiculo viveremus, absoluta felicitas nobis in superbiam verteretur. Hæc igitur omnia, quæ providus Pater omnium DEUS in nos gratiosè effudit dona, eò gratiora nobis, quò magis sunt penes condimentum AUREÆ LIBERTATIS, ut nisi ad invidiam verbi in eo dicendum sit, dicerem aliquid ipse, verùm pro me loquatur Stanislaus Orichovius, *Meritissimè Civem Polum dicere posse*: *Opificia.* *Libertas*

LIBER SUM.

XV.

XV.

LIBRORUM LEGENDORUM RATIO.



Lii utuntur floribus pro aſpectu, nonnulli causâ odoris, verumtamen omnium uſum apes prudentiſſimè confundunt, quæ non vana illa, ſed (mel decoquendo) fructum ſtudioſius petunt, ut idem flos effectu alius atque alius ſit, prout eum ſibi accommodavit perquirentis ſtudium. Eandem ſæpè imaginem excellenti depictam arte vidi, aliorum ne aſpectum moviſſe quia rudes erant, ab aliis aſpectam quidem, ſed incurioſo & tranſitorio intuitu; Cùm enim non intelligerent artem, non mirabantur artificem; Jam verò à reliquis & aſpectam & diligentiori conſideratione penſatam, ut centum ſpectatores, centena & ſemper nova picturæ artiſve eruerent in laudem Magiſtri decora, cùm alteri hoc, illud alteri, huic minus, alteri magis, imò nonnullis maximè, aut aliquid, aut placuiſſet totum, prout rectum ignarumve fuit judicium aſpicientis, ſic

ferè

ferè proborum Authorum ſcriptis evenit, cùm enim alii pro vana curioſitate libros legant, alii ſparſim (hac & illac) per paginas rem libent, quid infelicius ſcriptori, quàm in talium joculatorum incidiſſe manus & judicia. Verùm qui pro deſiderio ſciendi lectioni immorantur, nec ſimplicem narrationem modò, ſed cauſas etiam rei & ſcripti perquirunt, idque ſecundo & tertio ſcriptum revolvendo; ea vera uti *Legentis* utilitas eſt, etiam ipſius *Scriptoris* talem meruiſſe *Lectorem* vera felicitas dici poteſt. Hæc mea item quæ porrigo, prout judicioſum, gravem, aut ſecus moroſum, leviuſculum, tædioſum aut diſtractum Lectorem merebuntur, non dubito quin ſimilia videantur legenti. Sed tamen ut promiſcuè petam à te *Lector*. Ne mihi vitio quæſo vertas, ſi tibi ſuggeſſi quæ apud prudentiores legi, aut ipſe videndo, vivendo pernovi. Parvi momenti nonnulla videbuntur tibi hæc ſcripta, aut minus in rem ſervientia? falleris; Cùm enim ſine ſedula conſideratione aliquod eorum tranſmittes, atque ideò partes ejus naturamve non capis, non meo ſed tuo vitio rejicies, damnabis. Fieri autem aliter non potuit quin breviter ſcriberem; Aut enim curulis ſella ab hac honeſta (carptim per otium) ſcribendi occupatione in ſenatum me avocat, aut etiam qualisqualis mihi

mihi librorum lectio, tum ipsa præsertim suggessit praxis, hoc in scriptum congerendo, velut Geographi universi formam modico in globo, ego quod opportunum dictu in promptu habui, brevi includere debui scripto. Utere igitur felix, neque Authoris rectam mentem & intentum injurius carpe, si haud dextrè accommodanti secus cadat. Nullum verò in hoc fragmento me suggessisse puta monitum Civi, Populo, Principi, cui suus desit *Modus*, *Qui est sal & anima virtutum*. Tu quoque utere cum *Modi*. Vale.

OPE-

OPERIS CONTENTA.

PE-

PERISTROMATA REGUM;

Seu

Memoriale Principis Monitorum,

Symbolis expreſſum,

AUCTARII

loco poſitum.



Ihil hic novi Principi ſuggeritur, quod ante dictum non habeatur, Symbola tantum ſunt, ſeu idea & imago ſupradictorum, cujus aſpectu cum delectatur Princeps, ſimul doceatur oportet; Non melioribus aulæis Palatium Principis, imò cubiculum interius ornetur, quàm iis, quæ cùm ornant, etiam delectando doceant; ſæpe alias curis diſtractus Princeps, tum affectu bono aut malo abripitur, quæ omnia dum conturbant animum, etiam à recto conſilio abducere amant mentem in devia, nec ſemper adeſt copia conſilii, aut ſi adſint conſultores, non obvium ſit cuique dicere, imò non ſemper ſuggerere audent, quod in rem opportunam veniat. Per hæc igitur cubiculi ornamenta, quæ intui-

intuitu familiari non magis in oculos, quàm in animum ſe ingerunt, doceatur Princeps, nec alia Principis aula melius accommodata, quàm in qua muta etiam & inanimata, ſalubria loquantur, & parietes loco monitorum ſint. Hinc uſitatum erat magnis in orbe heroibus, excitandi animi gratia, accommodatis menti ſuæ uti Symbolis, Alexander Magnus pingi ſibi volebat Leonem, dein alii, alia Symbola aut ſigna in annulis, tum alibi fingi curabant, Pompejus, Cæſar, Auguſtus, &c. tum inter Catholicos Principes (ut multos prætercam) Carolus V. Cæſar, Symboli nomine fingebat ſibi *Herculis columnas*, ſed negativâ in affirmativam verſâ, cum inſcriptione PLUS ULTRA. Ac recentiſſimè noſter Vladiſlaus IV. magnanimitatis, munificentiæ & Regiæ comitatis vivum ipſe Symbolum Rex, delectatus novo Symbolo, quod in cubiculo ejus ingenioſè parieti inſculptum erat, & uſque hodie viſitur, videlicet Aquila (Poloni ſtemmatis decus) non jam armiger Jovis irati, ſed dona ferens & gratiam clementis, adſculpto in pedibus faſciculo frumenti, cum inſcriptione PANEM NON FULMINA. Item alii Reges, Principes, Viri illuſtres, cùm Symbolis non uterentur, ſalutaria tamen dicteria & potiores ſententias gravium

vium authorum, ſuper feneſtras, oſtia, parietes, monitorum loco inſcribi ſibi curabant, & hodie adhuc nobis in more eſt, ut quæ incurrant in oculos, infundantur in animos & præmoneant mentem; in iis verò maximè ſeu affectibus vitandis, quorum paſſio ut plurimum nos afficit, ſeu conſiliis publicè aut privatim promptè habendis, quæ ſæpius exequenda veniunt. Utinam hæc etiam quæ Aulæarum ſub ſpecie hic ſuggeruntur monita, non Palatii Principis ornamenta ſint, ſed potius animorum, tum intimæ mentis imago, & viva ſculptura.

PERISTROMA PRIMUM.



PRincipis mobilium, rem præstantissimam esse Bibliothecam, rectè quidam effatus, sed plerumque in conquiren-

rendis authorum libris, curiositas nonnullorum magis laborat, quàm rectè sciendorum cupido, ut satius dicendum sit, Principis cubiculum non majus ornamentum ad Majestatem compositum admittere posse, quàm unum alterumque in mensa librum, cùm non Bibliotheca mutis libris docta, sed mens Principis salubribus consiliis referta pensatur, quàm proborum Authorum, sed præsertim Historiæ lectio & Geographorum notitia copiosè ingerit, nam hæc ad summam regiminis conferunt; Hinc altior æstimatio personæ Principis suboritur, & edictorum, dum incolæ advertunt Principem suum, non à proprio tantùm genio, sed altius ab anteactorum temporum notitia eruere consilia recta, velut è profundo montium operosè foditur nobile aurum. *Hinc omnia* Princeps habeat, seu novas leges (si ad salutem populi ultra conferant) suggesturus, seu antiquas super quas juravit, observaturus, ut ad earum normam se componat, neque in devium legis abeat perjurus, odia civium imò maledicta experturus, non populi vitio, sed verius suo. *Hinc* consilia pacis, belli, fœderum eruuntur. *Hinc*, quales ministros legat Princeps? quæ sit per licita & honesta colligendi ærarii cura? quomodo populum publicè intra authoritatem simul & amorem regat? quomodo

privatam domum & ſuos habeat, alienis exemplis diſcitur. Item quomodo, intra Juſtitiam clemens ſit Princeps, nec extra clementiam Juſtus? quomodo liberalis ſit ſine prodigalitate, aut parſimoniam amet, ſed proximior liberalitati? Quanta ineſſe debeat bono Principi Catholicæ Religionis & cultus Divini cura? *Hinc* inquam (id eſt ex anteactis præteritorum) *Omnia* diſcat Princeps, & eadem de ſe ſeu victurus ſeu moriturus judicia populi amet aut vereatur, prout virtute paravit ſibi amorem, aut ſecus illicitè geſtis meruit poſteritatis infamiam, velut in aliis laudatum aut reprehenſum aliquid legit. Uti verò veterum ſcripta conducunt ad rerum notitiam, ſed maximè proſit, ſi populi ſui faſtos ſæpe revolvat Princeps; Aliena ſcire curioſitas eſt, ſua * verò neceſſitas, nam ad rem magis conferunt.

Imò etiam ex ſe natos honeſtis artibus imbui velit Princeps, futuræ ſpei eos paraturus, tum communi juventuti Scholas & Magiſtros provideat, convenienti proventu ditet, præmiis artes & ingenia provocaturus, ſubſtituendo commiſſarios, qui ſingulis annis (Academias viſitaturi) in ſtudia juventutis inquirant, ut iis præceptis inſtruatur, quæ ad naturam ſui ſtatus & genium populi conferant, non quæ curioſitatibus exoticarum quæſtionum ludant,

* *Idem alibi dictum, ſed hic compendium prædictorum eſt, prout hic aliqua repetita (ſed quæſo ſine murmure) legas.*

dant, tales enim Reſpublica in poſterum habitura viros, quales à pueris formari ſibi curat juvenes, judicioſos, rerum Patriarum gnaros & amatores, aut ſecus molles, leves, in novitates exoticas curioſos, ſuorum ab antiquo inſtitutorum negligentes, libertatis prodigos.

Hæc dicta ſufficerent pro reliquis omnibus, nam verè HINC (id eſt à lectione librorum) habentur monita OMNIA. Verum ſigillatim quædam inſinuare mihi propoſitum eſt.

PERISTROMA II.



Religionis & pietatis Pace & Bello potissima sit Principi cura. *Ne ritus sacrorum inter ambigua culti per prospera oliteren-*

terentur. Sed cultum Divinum & bonum Ecclesiæ impensè promoveat, ſpiritualium immunitatibus non detrahat, reverenter eum ordinem habiturus; in ornamenta altarium ſit liberalis, in Eleëmoſynas largus, mendicis, pupillis, afflictis, promptus, nec dando tantùm, verùm ſæpius ope legis & promptè ferendis decretis ſubveniendo, ne litigii protractu & ambagibus juris graventur, imò ne à potentioribus opprimantur; Cavebit etiam Princeps, ne Hæreticos in familiaritatem cubiculi intimioris adſciſcat, licèt alias obſequio promptos, ſed tamen religionis hoſtes, nec ideò rebus Principis (præſertim quæ ad Divinorum curam vergunt) faventes aut fidos. In reliquo ſint non fucatæ pietatis, palam in Principe ſigna, ſacro quotidie publicè interſit, nullis negotiis ab ea cura diſtrahendus, quidquid enim ſanctum privatim egerit Princeps, ſibi uni profuturus in præmium, quidquid publicè? omnibus proderit in exemplum, populus verò conformat ſe exemplo Regis, & quo inclinari videt ſequitur, undè ultra hoc, quia timenti Deum Principi omne magnum opinione populus adſtruet, quaſi omnia cum bono Deo agenti, fiet etiam ope Divina, ut omnia ſuccedant in melius, licet quandoque videantur adverſa, aut ſecus improſperentur, ſi

humana ſtudioſius, *Divina* negligenter habeantur. Etiam intra Arma, virtutis & per omnia conſcientiæ eadem ſit ratio, advertat Princeps, ne ſui milites per licentiam Colonis ſint graves, ne maledictis populi, ultra incommoda res ſua gravetur; Imò in hoſtico eadem modeſtiâ res agatur, ſine flagitiis in fæminas, pueros, ſacra, templa, mortuorum ſepulchra; ſed Caſtrorum ſit publica pietas, vota incipiendo & finiendo bello, *Deo* ferantur, in pactis potiſſima ſit Religionis ratio, ut pro hac magis quàm pro reliquis certare videatur. Dum verò pace & bello eadem inerit Principi virtus & Divinorum cura, eadem adeſſe poterit à ſpe auxilii Divini rerum proſperitas, nec pax erit ſterilis, nec bellum illi grave, concutietur, ſed non frangetur, inclinabitur aliquando? ſed non ruet tamen, imò quandoque cadet, ſed ideò ut altius aſſurgat, is inquam Princeps, cui non fucatæ virtutis & cultus Divini, inerit zelus.

PERISTROMA III.



NOn aptius symbolum veritatis, quàm in imagine Sanguisugæ, quæ MORDET DUM fæcem sanguinis

ſugendo PRODEST nec prodeſſe poteſt, niſi mordeat. Ad morſum ſanguiſugæ frontem contrahit æger, ſed tamen pro amore ſanitatis ſponte admittit; *Veritatis* etiam natura eſt, ut non aliter proſit, niſi mordeat aures audientis, dum errores, vitia, defectus, velut vulnera quædam detegantur oportet, quibus medicamenta recti conſilii, non aliter adhibeantur, niſi ſint in aperto, veritas prima fronte aſpera, ſed eventu læta, adulatio ridet aſpectu & placet auribus, ſed animum poſtea offendit, nam triſtis eventu eſt. Non igitur Princeps veritate offendatur, ſi bene ſibi conſultum velit, ſed potius veraces conſiliarios amet, pro melioribus habiturus, qui dum errores pollice tangunt, apparet quia morbum vident & intelligunt, ideoque facilè ſanant, illi verò qui mollia loqui amant, aut rem non intelligunt, aut deformi adulatione laborant, Principem Remque publicam perdituri. Sed tamen veritas etiam cauta imò diſcreta eſſe debet, ſimilior ſanguiſugæ, leniter noxium ſanguinem extrahenti, non ſerpentibus dentatis venenum infundentibus in vulnera, ne ſub ſpecie veritatis aculeatis ſermonibus laboretur, ne inverſo veritatis nomine, magis ignei dicendo ſimus, quàm zeloſi. Princeps itidem extra omnem affectum ſit, ne conſultores pro communi

bono

bono zelantes, igneos aut turbulentos vocet, nam quædam rectè ſanari non poſſunt, niſi vivacius urgeantur. Etiam verbi Dei præcones, ſi in obſtinatiores auditores incurrant, non certè beatam vitam uti melioribus per mollia trahendis proponunt, verùm arguunt vitia, judicium, fulmina, erebum, occidium comminantur peccantibus, nec tamen à rectè ſuadendi præceptis abeunt.

PERISTROMA IV.



Fabula (litigantis venti cum ſole, hujus de Gratia, illius de Potentia) magni in rebus humanis myſterii, æquiſſimum

mum Symbolum esse potest, videlicet, quantum gratia possit supra violentiam. Non eripuit sed potius fortius vestem as-stringere cingulo, causam viatori dedit in-surgens ventus, fatigavit? sed ipse fatigatus, molestiam fecit, sed majorem ipse tulit, dum frustra vim exeruit, severius expoliare studuit, eoque majus ingenium ad resistendum viatori movit, ut se, adversus vim muniret, cingulum vesti superinduceret, prout est verissima malitiæ in seipsam sævientis imago. Sæpe dum exarmare volumus, potius præcavendo, armandi se occasionem damus, dum minaciter extorquere volumus, exacerbamus verius quàm obtinemus, quò ardentius flagitamus eò impensius negatum habemus, quò magis diffidimus, eò diffidentiæ in nos majoris causam suggerimus, nemo enim diffidit, nisi qui seipsum occultæ malitiæ arguit, nec amorem sibi deberi judicat, qui ipse non amat; Cessavit vis & sævitia venti, videamus mollius quid possit certamen? Adest cum sua serena facie *Sol*, splendentes simul & calidos mittit in viatorem radios, rident prata, coalescit aër, sudat à gratia caloris viator, solvit primùm fibulam, cingulum discingit, dein vestem sponte detrahit, seque in terram ad confessionem victoriæ, coram triumphatore sole, lassus benignæ litis gratia,

abjicit viator. Sic gratia profecit quantum vis non potuiſſet. Suaſum ſit cuique Principi, ut per molliora cum ſibi ſubjectis agat, filialiter magis quàm ſerviliter eos habiturus, ea tamen moderatione, ne infra Majeſtatem effuſa lenitate ſe abjiciat, imitaturus ſolem, qui ex alto radiat, nec deſcendit tamen, ne ſi nimis proximum ſe inferioribus admoveret, aut combureret omnia, aut radios (qui vim ad calefaciendum diſtantia acuunt) intorquere tum hebeſcere cogatur, ſic Princeps dum humaniter agit, non tamen oblitus ſit debitæ gravitatis, quæ eò gratior populo, quò magis ex alto veniens, humilioribus gratiosè communicatur. Sic mancipantur populorum animi & trahuntur in amores Principis, promptum pace & bello obſequium, & quæcunque voti ſui ſunt, intra amorem oblaturi. Non ignoravit eam gratiæ vim *Stephanus Bathoreus* Rex noſter, qui bellicoſus Princeps dum eſſet, dicere ſolebat: ***Se tot equitum turmas ſine publici æris diſpendio in aciem educere poſſe, quoties poſſet accommodata in rem vultus ſerenitate, levare pileum?*** Cùm enim haberet in uſu, ut ſe non infrequenter communicaret Optimatum convictibus, hunc blando alloquio, illum leni aſpectu, alium nutu, ſingulos verbo dignabatur, *comitate & alloquiis officia provocans*, tum in majus argumentum gratiæ

(ſed

(ſed hæc intra Regiam gravitatem) propinato per prægustatores Regio poculo, omnium rapiebat animos & parabat ſibi amores, levabat inſuper promptè pileum, in majus condimentum comitatis, & ſimul futuri belli magnificum interſerebat diſcurſum, ſic Optimates Principis ſui comitate deliniti; in eo quod gratiſſimum erat bellicoſo animo, promptum ſtudium pollicebantur, hic cohortes peditum, ille equitum haſtatorum turmas, dein alii ferentariorum ſubſidia; ſimul Stephanus loquentium obſervabat affectus, prompta levatione pilei, grata ſibi eſſe quæ offerrentur, teſtando, munificum ſe data occaſione viciſſim præſtaturus, ut ille prompta gratia, tantum aſſequeretur (nam ſupra mercenarium exercitum, ex gratuitis Optimatum ſubſidiis, cùm hic magna eorum potentia ſit, decem aut amplius militum millia ſubſidio belli educebat) quantum alter pro imperio aſſequi non potuiſſet.

PERI-

PERISTROMA V.



AD formandum Principem pœnæ aut præmiorum arbitrum, habui in promptu Symbolum, *Bilancis appensæ*, adscripto

ſcripto ad ſtateram, NE PRÆPONDERET, ſed commodius è Palatio Varſavienſi, Aquilam Polonam, adſculpto in pedibus faſciculo frumenti (quæ hodie uſque in cubiculo impenſis Vladiſlai IV marmoribus incruſtato viſitur) depromere viſum, cum inſcriptione PANEM NON FULMINA Majeſtatis Regiæ fulgor per ſeipſum perſtringat oculos & terroris argumentum ſit in animis ſubditorum, vel ſine fulminum minacitate, quid ſi hæc ſtemmatibus appingantur? quid ſi fulmina ferat Majeſtas, rarius gratiam loquatur? Non certè in populi auribus vox ulla magis terrori quàm Principis ſit, nec ulli ſub ſole magis periculoſum ſit ſuum nomen, quàm vocari aut dici Regem. Præſtat igitur ut intelligatur à potentiæ & ſuperioritatis æſtimatione, quàm videatur in Majeſtate terror; Æquior utique in ſuos Aquila Polona, cùm in ſtatu legibus circumſcripto, Majeſtatem ſuam non in potentia nocendi, ſed in poteſtate bene faciendi fundatam habere mavult, dona gratioſi Jovis, non arma irata, populis ferendo, ſi enim hic pœnarum decreta Rex ferat, non poteſt ſine cæteris, imò *neminem ſe captivaturum niſi jure victum*, juramentum ſuper ea lege deponit, ſi verò præmia in benemeritos largiatur, ſolus ſine cæteris

ris eorum arbiter eſt; hinc, thronus Regius in amore populorum fundatus, tutior eſt, quàm ſi terrore poteſtatis fulciretur. Non hic in Regem ſicarii, non venena, non proditiones apparantur, ſed potius uſitatum Regum Poloniæ Symbolum in alto manet. *Quod in ſinu cujuſque civis, Rex obdormire ſecurus audeat*, ut hæc ſit noſtri Jovis arx tutior, *& munimentum inexpugnabile, cùm non egeat munimento*, dum videlicet, Armigerum ſuum excuſſis in partem fulminibus, vertit potius in gratiæ diſpenſatorem. Vis Princeps neminem timere? ſis innocens, vis amari ab omnibus? præmium & gratia ſint tibi promptè & in obvio, pœna niſi coactè ſequatur & ex tacito.

PE-

PERISTROMA IV.



Opinione res constare & *Omne ignotum pro magnifico esse*, non ex vano dictum, quædam enim dum parva sunt, ma-

magna tamen opinione ab ignoto creduntur, ſeu revera cum ſint magna, opinione majora indicantur, ſi non videantur; Continuus aſpectus levipendium inducit, aut pro familiaritate aut pro ſatietate videndi, hinc proximè ſequitur, ut quæ ignorantur, ſcire, audire, & ſimul habere ardentius ea cupiamus, rebus enim pretium à raritate ineſt: ſi Adamantes tam obvii forent quàm ſilices, pretium eorum vileſceret. Etiam Princeps quò raritatem non obviæ Majeſtatis inducat, ſeceſſu eam tueatur oportet, dum enim parcius eam communicat, nec ſemper præſentem aut vulgariter obviam exponit, ſed per intervalla indulget. Populo, majus deſiderium viſendi ſui facit, & ex eo metum format prorſus amittendi, ſi tantum deſiderium habeatur videndi, modicè abſentis. Prolatum exinde habemus, ut qui remotius degunt à Principe, & de perſona Principis quiddam ſupra humanam ſpeciem auguſtius credant, & de Majeſtate quiddam ſanctius opinentur, & potentiæ aliquid immortale adſtruant. Nec ex vano proinde artem quærendæ (ſed nimis affectatæ) Majeſtatis, obſervavit *Hiſtoricus* in illo Barbaro Rege à cujus *aſpectu & alloquio populus arcebatur, quò plus venerationis ineſſet.* Imò Deus ipſe, cùm inter homines myſteriorum ſuorum Majeſtatem fundatam vellet, ingredi paſſim ſanctuarium

ve-

vetuit, & nebula occupavit templum Salomonis, ſecretam loci venerationem loquens, cùm circa dedicationem Majeſtas Dei templum ingrederetur; multò magis Principi uti homini, proſit ſecretum non obviæ Majeſtatis, cùm humana ſat per ſe imperfecta ſint, niſi quadam arte tum adminiculo juventur, ut nonnulla ad opinionem adſtruere, nonnulla celare, aliqua demere neceſſe habeamus. Si igitur Princeps in obvio ſit populi aſpectu, multa in eo hæc aut illa imperfecta notentur, imò aliqua cum ſint probata, ſed per diutinum intuitum, tamen ad contemptum trahantur, quid ſi aliqua vera vitia inſint? Nam etiam Princeps eſt uti mortalium cæteri, non extra humanam fragilitatem aut imperfectionem poſitus, ut in ſermone, aut geſtu, aut in perſona, aut in affectu, aut in animo aliquid illi ad veram perfectionem neceſſe deſit, quò verò hæc parcius viſenda exhibentur, eò minor datur occaſio interpretandorum Principis factorum, aut ſecus ſi hæc ſint ſupra vulgaria hominum in Principe, adhuc majora verò credentur, ſi potius interpretetur vulgus & divinet de iis, quàm ut quotidie videat. Abſit tamen ut perpetuum ſeceſſum quaſi clauſtra aut carcerem, imò cubile ferarum (quæ niſi nocituræ in palam prodeunt) Principi ſuadeam, ſed modum requiro, ut potius quietem

tem laſſatæ Majeſtati ſeceſſu indulgeat Princeps, & eam juvet (ne continuo aſpectu fatigetur) reſumptis viribus vivacius pro dignitate ſui poſthac operaturam, quàm ut perpetuo torpeat occultata, nam majore adhuc vitio deliteſcat in abdito Palatiorum ſeceſſu Princeps, quàm ſi ſemper palam ſit, *ſævæ & ſuperbæ cogitationis indicium eſt, ſecreto ſuo ſatiari*, ignorabitur Princeps, & ipſe (quid facto opus ſit) ignorabit, curam populi negligenter habebit, nam ſæpe in fronte ſuorum (licet taceant) legere multa poteſt, ſi videat, tum populus refovebitur aſpectu Principis, ſi videatur, neque ideò ex vano rumore aut delationibus ſervilium libertorum, de perſonis & rebus judicabit, ſed revera ſciet, neque unius alteriuſque blanda ſæpius quàm vera loquentis clientis agetur in adverſum verſutia, ſed à multis multa & veriora diſcet, *neminem omnes fefellerunt*, hinc quid in limite agatur, qualis de hoſte, quanta de ſuis fama? quæ populi preſſura, aut per tribunalium juſtitium, aut per exactorum avaritiam ? quod ſit meliorum civium in ſe Remque publicam ſtudium? non pro affectu clientum, libertorum, janitorum, in hos aut illos, verùm ipſe oculis ſuis, ideóque probè diſcet; Alias ſi in occulto torpeat, pupillus verius & ſtatua ipſe Regis, ille verò clientis ſub nomine Rex


verè

verè habebitur poteſtate, per quem aut in cubiculum ad Principem deferentur ſcienda, aut extra exportabuntur exſequenda, non enim prout ſignificatum aut viciſſim reſponſum eſt, ſed prout deferenti clienti placuerit, indicabuntur eſt fient, velut qui perſpiciliis utuntur, falſas formas rerum oculis accipiunt, minores aut majores, tum coloribus aliter variantes quàm ſint, ſic Princeps qui ſua curæ clientum credit, nec ſe ipſe præſentem rebus ſciendis commodat, aliter quàm ſunt, de rebus falſò ſciet & judicabit. Seceſſum igitur ſuadeo, non eum tamen in quo ſoli occurrant ridiculi pigmei, hiſtriones faceti, pſittaci garruli, ſimiarum luſus & muſcarum captura, nam cubiculum Principis rimarum plenum eſt, nihil non occultum fert, quod occultum creditur, videntur omnia, etſi non videantur, ſi verò evulgata erunt caſu levia, etiam de magnis idem erit in poſterum rumor & judicium. Honeſta potius ſit per ſeceſſum mentis relaxatio, graves diſcurſus & colloquia, hortorum deambulatio, haſtiludiorum à remoto proſpectus, lectio Hiſtoriarum, tabularum Chorographicarum imò Topographicarum inſpectio, ordinationes rerum in caſtrinum; Aut eum ſeceſſum ſuadeam, qui per venationes remotius à loco reſidentiæ trahatur, aut devotionis alicujus ſub prætextu ſuſceptum

ptum iter, & alia grandia & verè ſint Regalia. Rara tamen dies ſit quin viſendum ſe partim populo circa devotiones & ſacra publica in templo exhibeat Princeps, partim purpuratorum alloquiis in Palatio ſe commodet, facilis aditu, reſponſis promptus, ſed *præmeditatè gravis*, nec obviè effuſus aut vulgaris; ut plura ex nervoſitate interpretentur, quàm ut prolata & audita facilè intelligant omnes, velut noſtris Regibus in more & inſtituto eſt, ut partem publicorum judiciorum exerceant ipſi, & decreta ferant, unde ſe populo ſæpius communicant videndi, & viciſſim ipſi ſuos vident.

PERI-

PERISTROMA VII.



POst ſeceſſum Principis ſecretum conſilii requiro; Nullum verò conſilium ſatis ſecretum ſit, ſi adſit aut garrulitatis,

P aut

aut levitatis vitium, licèt in abditiſſima tricliniorum parte feratur; ſi admittantur ad rem, leviculi, minorennes, tum importuni arbitri, ſi ſuper hæc aut Princeps ipſe, aut illi qui adhibentur, licèt graves ætate, verùm moribus ſint propè minorennium levitatem, ut quæ ſecretò concluſere, ea poſtquam è conclavi egreſſum eſt; primò coram ſpecioſis confidentibus, dein coram uxoribus narrent; hæ item habent ſuas aut ſuos confidentes, tum hi deinceps alios & alias, ut quod ſecretum hodie putabatur, cras per urbis compita tum in foro inter mulierculatum confabulationes palàm narretur; nihil verò evulgandis ſecretis magis obnoxium eſt, noſque decipit, quàm cùm perſonatos confidentes ſuſpenſæ in ſpeciem frontis falsò nobis adſciſcimus in converſationem, ſi verò uni ſecretum narras, non jam ſecretum eſt, ſed fama fori, quomodo enim alter taceat coram aliis aliena? ſi tu ipſe non taces tua? niſi falsò credas, magis alterum fidum tibi fore, quàm fueris ipſe tibi. Quidam deinde aut per impatientiam dicti, aut per captationem vanæ gloriolæ, ex eo prudentiæ famam aucupantur, quia quæſtionibus ſuper quacunque re ludunt, & cùm è conſilio egreſſi fuerint, de prudenti conſulto coram familiaribus gloriantur, quo illi potiùs levitatem produnt,

dunt, quàm ut prudentiæ famam ſibi parent, quæ potius à facto non à vanitate verborum paratur. Summa igitur cujusvis conſilii ſit, ut ſecretum habeatur, ſeu ſit conſilium togatum, ſeu multò magis ſi ſit militare, quòd eò impenſiùs celandum erit, ne ad hoſtem deferatur & præcaveat, imò ne præveniatur prius, quàm forſan de exequendis noſtris cogitamus. Non arte alia niſi ſtratagemate ſecreti *Noctua*(quam loco Symboli hîc poſuimus) aves noctu venatur, nullas habitura, ſi lucis aſpectu propoſiti conſilium in palàm proderet, eò felicior aucupio, quò illæ minùs periculi à ſecreto noctis ſuſpicantur, cùm præſentiſſimum adeſt. Sic conſilia omnia privata & publica, bellica verò maximè optatum finem ſortiantur, ſi ſecreta ſint, nam verè cujuſcunque *conſilii Anima ſecretum eſt*, qui ſecretò facere aggreditur, habet, modò tamen ſecretum licitarum rerum quæ honeſtè perfici poſſunt, præſidium ſit, non ut ſubſidium fallaciarum ab eo petatur.

PERISTROMA VIII.




PRocul à curis hominum nutritus qui ſit, non ſatis rideat agricolam viſurus, plenis ſaccis frumentum è domo exportan-

tantem, velut amissurum in terram projicientem, cùm alias rei œconomicæ peritus laudet industriam, probet curam, quæ sic amittendo lucratur, projicit unicum ut demetat decem, dat terræ largius sua, ut vicissim cum fœnore recipiat illius dona, ut Principis libertati aptior nulla imago statuatur, quàm hæc in manu seminante, non damno sed lucro habituri, quod in ministros dignos erogarit, aut secus illud amissuri, quidquid indignis contulit gratiæ & muneris; Nam velut ager frugifer, decuplum pro eo quod creditum tenuit, reddit agricolæ, sic bonus minister dexteritate & scientia obsequii, reddit munifico Principi plùs quàm accepit, dum bello aut pace scientem se ministrum præbet, Provincias Principi parat, populorum amorem conciliat dum providet ut per omnia res Principis floreat nec labatur, quæ alias inscitiâ administrorum in adversum necesse abeat. Minore quidem (fateor) ærarii & gratiæ dispendio, obvios in obsequia sua intrusores paret sibi ministros Princeps, sed etiam graviore damno eorum inertiam experiatur, ut malit plus in bonos erogare, dando lucraturus. Non in Toga verò, sed magis in Sago eam impensam optimi lucri loco habebit Princeps, quod bonis militibus parandis effuderit, nisi malit inertem turbam ærario & Provinciis

gravem, aut amet Præfectos, qui pro seipsis garruli, loquaces laudipetæ, non quorum facta meritorum famam ex vero loquuntur, licèt taceant ipsi; Ergo ne illos probet personatos, Martem in ore, leporem in corde gestantes. Sunt item aliæ impensæ non magis populo lucrosæ, quàm Principi utiles, si provideat commoditatem portuum, vecturarum, tabellionum, impendat in reparationes viarum, pontium, in amovenda obstacula fluviorum, in purgandos canales, & facilitatem navigandi, in promovendam agriculturæ curam, si, inquam, non parcit impensis Princeps, DANDO ACCIPIT. nam ditescente populo, commodissima per licitas collationes ditandi ærarii aderit via, & fons ab opibus populi inexhaustus. Fortalitia item si exstruantur pro securitate limitum, ut sui securè intrò vivant, abundantius Principi tributa per quietem collaturi, tum si aliquid indulgeat ex onere tributorum; exhausto populo Princeps, ut cùm ab onere respirarint, resumptis viribus, tantò plus oneris postea ferant. Aut secus amittit Princeps, si unius speciosæ vicis causâ per collationes exhauriat populum, exsiccando venas ærarii, sibi ipsi ablaturus, quod sic à suis extorsit. Imò non remittat tantùm ex oneribus populo, sed etiam aliquid largiatur de suo, diviso viritim

ritim aut vicatim frumento in necessitate annonæ, & quæ alia levandæ publicæ inopiæ serviant. Sic bonus Paterfamilias non vanam impensam tum laborem ducit, si colat agrum, & substernat fimum oleribus, tum deducit canales in prata, ut eò magis pullulent opimum fructum latura, nam sic perdere, lucrum facere est. Etiam privati cives qui nonnihil erogant in licitos & honestos convictus parandis amicis, dando lucrantur; parcitas nemini lucrosa, verùm sterilis est, latent in angulo ignoti divites parci, pleni nummis, inopes egregiorum amicitiâ.

PERISTROMA IX.



NUllæ opes magis ſunt ad naturam hominum & Provinciarum accommodatæ, quàm quæ ab agricultura parantur,

tur, non qui fodit aurum, ſed qui terræ fructus colligit, dives cenſeri poteſt, aurum ſi habeas, non ea ſtatim promptè habentur quæ vivendo ſunt, ſed niſi in auro parandis vitæ neceſſariis medium aptiſſimum eſt, ſi verò panis dives adſit, ſimul adſint neceſſe omnia, copia pecorum, equorum, ovium, lanæ, lini, ac proinde tota nutriendo, tegendo homini accommodata vivendi adeſt ratio (velut copioſiùs hac de re alibi dictum) multis ideo expertum Principibus, imò caro ſtetit ea Cereris inopia, ut cum aliàs affluerent auro & nummis, viribus tamen deficerent & ſuccumberent bello, aut ſecus, quibus cùm aurum non adeſſet, tamen propter copiam annonæ in multos annos ſufficerent bello. Neceſſe igitur quiſque providus Princeps, licèt cætera tranſeat, vomeris tamen apparatum (id eſt agriculturam) præ omnibus quæ divitiarum nomine cenſentur, præponat, illamque inſtaurari curet, providendo ne agricolæ vim à militibus patiantur, aut per tributa & exactiones emungantur, ſed quieti degant, immunitatibus certis donentur, nam hic verus eſt fons opum populi inexhauſtus, hæ ſolæ aurifodinæ certiores imò diuturniores, quàm illæ, quæ nomine Metallorum de ſubtus montium eruuntur, nam aut diuturnitate temporum deficiant, aut tædio impenſa-

rum tum laboris ſponte deſerantur, ſed apparatus vomeris parvo compendio habetur, terra item cuique ad manus eſt, ut felix opibus eſſe poſſit, qui tam facili medio, ſupra ingenioſum lapidis Philoſophici commentum, vulgarem glebam, in aurum commodè vertere ſciat, lucrum item honeſtiſſimum dici poteſt, & revera nemini ſit fraudi, quod inter terram & aratorem contrahitur, hinc ex copia Cereris, ſequitur copia pecorum, equorum, & (quod priùs dicendum erat) multitudo habetur populi; dum verò adeſt annona & Populus, nonniſi Principis ſcitè regentis induſtria reſtat, ut à multis manibus multa, imò ut habeat Omnia. Sed de populoſitate ſeparatim mihi dicendum eſt.

PERISTROMA X.



INter cætera, Cracovienſis arcis ornamenta, pulchro architecturæ commento, ſuperius tabulatum majoris triclinii,

nii, prominentibus desuper millenis capitibus hominum, per diversos habitus & facies distinctis, visentibus admirationem, simul & tacitam loci Majestatem loquitur, quasi à multitudine capitum & numero Populi, optimum sit Principis ornamentum; Multi populi multæ sunt manus, seu habendæ pinguiter paci, seu propulsando bello, imò Princeps qui multis populis præest, solus potens dici potest, hinc agricola, hinc operarius, hinc argenti fossor, hinc nauta, hinc miles, hinc minister, hinc puteus ærarii inexhaustus. Placet dicterium Hispani cujusdam legati Venetiis fortè auditum, cùm enim Senatus ille, cistas graves auro visendas legato præsentaret, forsan in tacitam virium ostentationem, & simul exprobrationem exhausti Hispanorum peculii, argutiâ dicterii usus est, quærendo satagenter, *utrumne illæ cistæ haberent fundum?* quasi innueret, grandibus etiam peculiis esse suum fundum, aut secus illum Principem qui terris, qui populis præest; uti potentissimum, ditissimum etiam dici posse, cui si desit peculium, capita tamen virorum & multæ manus, tum pinguis ager, loco magni peculii (qui sine fundo dici possit) restant. Vidit orbis, ut ii Principes qui magnis populis præssent, etiam sine multo auro & impensa, eas Civitates & Provincias

vincias caperent, quæ & mercatu, & nummis, & quæ divitiarum nomine vocari poſſunt, abundarent. Viris & annonâ cùm dives eſſet Polonia, ad miraculum uſque Europæ, bello gravata, potentiſſimorum tamen Principum arma fatigavit, & hodie Dei auxilio ſuperior eſſe poteſt. Quomodo verò populoſitas in Provinciam inducatur, in iis quæ (ſi Deo tandem placet) à me parantur, aliàs inſinuabitur.

PERISTROMA XI.




QUi amat pacem præparet bellum, ait Lampridius. Non diutinam imò pacem nullam habeat, cui in pace meditatio belli

belli tædiosa est, difficulter verò in illum movetur bellum, quem hostes sciunt esse armis virisque non imparatum. *Non habetur pax, nisi cudatur*, per studia pacis, à meditatione belli & prompta defensione sui. Ne videlicet sub nomine pacis, publicæ ignaviæ sit nutrimentum & causa, sed potiùs à cessatione laboris & requiete, virium refocillamentum habeatur, ut juventutis animi per exercitia ad magna incitentur, ne torpescat per inertiam virtus, sint peditum legiones, tum equitum hastatorum turmæ (nec alia magis lucrosa Principi impensa) quæ exercitus faciant nomen, castra metaturæ, velut pro securitate limitum & regionis, sed veriùs pro condiscendo usu belli, & continua meditatione castrorum, hoc velut seminarium militiæ instauraturus Princeps. Sint item certis anni temporibus per vicos delectus, adhibitis gnaris belli Præfectis, qui habiliores armis exerceant, ut velut tela aut arma sepositi in parte, prompti bello & occasionibus habeantur; Qui secus otiosam amat pacem feriatus, odit potiùs illam, & veriùs amat bellum, imò sponte periculum sibi accersit, inertem belli & imparatum se invadendi occasionem daturus, si præsertim vicinos Principes habeat in sua intentos, & captandis rerum momentis promptos. In summa dicam; Armamentaria Prin-

Princeps provideat majoribus & minoribus tormentis, fiſtulis manualibus, pulvere nitrato, elichniis ſulfureis, haſtarum copiâ, ephippiorum, framearum, calcarium, plumbi, palarum, ligonum, vehiculorum manualium, & (ſuper omnia) copiâ annonæ, nam ſine illa, vis tota exanimis ſit, & langueat mortua.

PERISTROMA XII.



RECtè diſſimulantis titulum ille tulit, qui *non ſe minùs otioſum* ajebat, *quàm cùm otioſus eſſet*, imitatus orbes cœleſtes, cùm

cùm intensissimo motu ferantur, sine strepitu & sine intuentium sensu moventur, ut nisi translatione signorum successiva ab ortu in occasum proderentur, sententia eorum argueretur, qui tantam cœlo adscribunt velocitatem; Unde verissima magnis conatibus rerum depromi potest norma, ne egisse prius videamur, quàm dum sunt perfectæ. Etiam in rebus Principis dissimulatio valde prosit, sed fieri non potest, nisi pravos affectus intra dissimulationem coërceat, aut in rebus aut in personis multa dissimulaturus, specie nescientis multa videndo, specie non intelligentis audiendo, imò quod præstat studiosè omittendo, ut nesciantur omnino; rectè Seneca: *Non vis esse iracundus, non sis curiosus*, singula sciscitando, singula rimando, præsertim à garrulis, leviculis, & quibus sermonis multum, judicii parum; qui visa tum audita rectè non intelligunt & secus interpretantur, pro studio in hos, aut odio in illos, falsa narraturi, ut Principis acuant affectum, imò etsi quædam verè intellecta, sed minùs scitu opportuna, sæpe enim quod leviter factum aut effatum est, mox sponte facti pœnitet, ergo ne sciat de iis Princeps? sæpè pro levitate affectus humani tum per convivales jocos multa elabuntur, quæ in sequiorem sensum trahi possint, sæpe pro recta simpli-

citate

citate ingenii magis, quàm pro malignitate nonnulla imputamus, imò ſuccenſemus Principi & rebus, vel ideo quia non rectè intelligimus; velut aliqui de vulgo, cum de Divinis loquuntur, ſæpe non recta fabulantur, non ut ſic credant, ſed quia opinantur, tamen intra ſimplicitatem verbi, non intra peccatum dictum manet, aliquando tonare, pluere, etiam æſtuare injuriæ loco habetur, ſic in Principem dicta *ſpreta exoleſcunt, ſi iraſcare, agnita videntur*, ideóque infra animum Principis ſint; Imò ſponte ad eos rumores ſubrideat, velut pueriles luſus accepturus, qui ſerio aut joco dicti ſeu facti, ſtomachum & riſum intuentibus, non animum aut offenſam movent. Prudens imò ingenuus in excipiendis rumoribus ille Græcorum magnus, qui duos ex ephebis ſeditioſi ſermonis accuſatos, cùm in rationem dictorum inquirendam coràm accerſiſſet, ac fortè alter ingenuè confabulata faſſus, ſubjungeret, *ſi forte lagena & merum ſufficiſſet, etiam te dignum morte judicaſſemus*, ſubriſit tantùm, liberóſque dimiſit: Si igitur ſingula in quæſtionem vocet Princeps, eveniet quod levibus ſcrupulis implicatæ conſcientiæ, quam periculoſam magis, quam ſinceram erga Deum vocant, imò fiet ut rumores ipſa inquiſitione irritentur & creſcant, hinc ſequitur major

Prin-

Principis in ſuos diffidentia, & ſimul offendentium ſuboritur ex inopinato metus, ut fiat, ſi deprehendi ſe videant, leviter cogitata, ſeriò perficere conentur, *remedium periculorum ipſa pericula rati.* Etiam in mutuis Civium offenſis, diſſimulatio proſit, qui enim non diſſimulat, ſed pro affectu impetuosè opponit ſe offenſis, in ſpeciem obviaturus, auget potiùs & irritat materias, quæ aliàs ſponte ceſſaturæ ſopirentur, utì ignoratæ; quibuſdam enim rebus velut morbis, optimum eſt remedium à tempore, ut eo ipſo, ſanentur, quia nulla ipſis adhibita medicina. Non atræ bilis tantum affectus diſſimulandi Principi, ſed etiam bene faciendi & amoris, ne ſtatim ac aliqui prima fronte Principi placent, iis munera committat, eos pro intimioribus adſciſcat pro melioribus habiturus, nam *ſerpentibus etiam ſplendidum virus ſui tegumentum natura dedit,* & lucentes indulſit ſquammas, cùm feralem de ſubtus comminentur mortem tangentibus, ſæpius verò qui meliores & Nobiliores ingenio, moribus modeſti ſunt, ut ideo triſtes & ſuſpenſi facie, quaſi nihil intelligentes imò ſuperbi videantur, cùm eos tempus & rerum gerendarum occaſio verè declaret viros, inde fit, ut Principes leviculi credendo, & faciles affectu, ſæpe in amores aliquorum ferantur,

tur, quibus nihil boni & ſolidi ingenii, præter amœnam faciem ineſt, unde incurrunt plerumque præcipites, in horaria ingenia & nullius momenti miniſtros, qui Principis negotia involvant potiùs difficultatibus, quàm ut expediant. Hæc in affectibus, ſed multò magis in publicis negotiis diſſimulatio neceſſaria, ac in *Bello* præſertim. Provocat aliquando hoſtis, illudit, huc & illuc invaſionem molitur? hæc omnia non alia re vincas, quàm diſſimulatione, non leviter in aciem provolando, ſed conſilium & arma, niſi ubi res & ratio ſuadeat vertendo, omnía expenſis rationibus non pro affectu ſed graviter acturus. *Taciturnitas* etiam eſt pars diſſimulationis, imò ipſa Mater, ne æquè facta aut facienda pari levitate buccinemus,unde authoritatem factis diminuamus, quæ priùs evulgantur, quàm fiant, tacere qui ſcit, ſcit eſſe prudens, imò prudentis faciem induit, etſi ſit mediocris prudentiæ; dum tacet, non prodit quis intus ſit, quibus affectibus laborat, aut ſecus vitiis obnoxius, imò tegit omnino quæ juvat ut ignorentur, ſi verò ſit prudens, ſapientior pro taciturnitate judicatur. Vas niſi vacuum ſonum habet, gravibus pondus ineſt, ſic homo ratione vacuus, plus in pompam ſæpe loquitur, quàm qui aliàs ponderoſæ ſint mentis & recti judicii; Adde, quia rarius,

rarius, ideóque præmeditata loquendo, majore ſapientia in rem loquimur, *multiloquium* non fit, ut in levia non erumpat, cùm deſunt & exhauriuntur dictu gravia. Dicta verò Principis, rumor ſtudiosè excipit, periculoſas conſequentias format, & interpretationes imponit, aliquando ex aliter ſubauditis aut non rectè intellectis. Vulpes dum jacet ut mortua, felix eſt aucupio, niſi mortem ſimulaſſet, capturâ avium nullâ gauderet, non enim proximiùs convolarent captu faciles: ſic diſſimulatio, ignorantia, & ſomni imago, multis proſit, ut ſurdis & nihil intelligentibus, quaſi in res ſerias incurioſis, velut nolentibus, quæ in rem ſint opportuna, eveniant. Diſſimulationem tamen volo ſinceram in rebus, non ut ſit velata aſtutia, ne ſub præſidio diſſimulationis cuniculos hominibus & rebus ſtruamus, multa illicitè involventes, ſed ea diſſimulatio probata ſit nec fallax, quæ *Virtutis* rem habeat, metas licitorum non exceſſura, ſibi cauta & modeſta, aliis minimè gravis, nec inſidioſa, nec inſolens.

PE-

PERISTROMA XIII.



NExus & concordantia cauſarum mira in rebus, ſupra hominum captum poſita, niſi Divinæ prudentiæ tum poteſtatis

ſtatis vis eſt, ut bona malis, & mala quandoque bonis eventibus cauſam ſuggerant. Ne igitur adverſis confundatur Princeps, ſed potiùs advertat, intentus in omnes partes, quomodo ex adverſis bona eliciat, vel ut à ſeipſis ſponte eliciantur. Sic morbus nos immodeſtiæ vivendi arguit, ut in poſterum melioris virtutis & pietatis in Deum admoneamur. Sic bellum inſolentiam pacis & iners otium coërcet, ut novis periculis præcauti, meditationem belli induamus, ne imparati offendamur, obviæ potentiæ præda futuri; item populi aut militares motus, modeſtiam regendi in poſterum ſuggerunt, tum ærarii diligentiorem ſuadent curam, inutiles expenſas, avaritiam exactorum, & inſolentes rationes produnt, ut cöerceantur, imò ipſa infortunia aut privatæ domus, aut publica, prudentiam nobis acuunt, ut cauti & circumſpecti ſimus in omnes partes, ne nimiùm fidamus fortunæ, amicis, tum alienæ potentiæ, imò quandoque nobis ipſis, niſi ſolidiori virtuti inhæreamus; non, inquam, dejiciatur animo Princeps, nec frangatur adverſis, nec inſoleſcat proſperis, ſed potiùs conſtans ſit, fortis, intrepidus, nec leviter flexu facilis, poſt nebulam Phœbum exſpectans, aut ſecus, lucente Phœbo, vix tamen ſudum per totum experturus cælum.

Etiam

Etiam concordiæ civium ſymbolum idem mihi, *Fornix* murata, lapidum aggeſtu in unum centrum procumbentium ſubſiſtens nec ruens, aliàs *caſura*, *niſi cohæreant*. Sic niſi adſit Civium *Concordia*, nulla ſubſtat Reſpublica & Regnum, licèt aliàs potens, debile tamen fiat, per Optimatum & populi diſcordiam. Falluntur valdè Principes, ſi innitantur igneis è *Calimachi* & *Machiavelli* officina ingeniis, non enim diſtractis in partem civibus ſecuriùs inter diſſentientes regnaturi, verùm potiùs involuturi ſua omnia. Tyrannorum ea ratio regnandi, non bonorum Regum eſt, quâ virtus non indiget, ſed metus tantùm & conſcientia male factorum exprimat, dum verentur, ne ſibi per flagitia regnantibus periculum adſit ex unanimitate, uti certè nemo Principum aut metuat aut diffidat populo, niſi qui ipſe malus ſit. Bonus verò Princeps quid ſuſpicetur? dùm pro virtute præeſt, aut cur diſtrahat? cùm nec Tyrannis diſcordia civium recto eventu ſuccedit, ſed potiùs in præcipitia ducit; Nam primò occultæ factiones, molimina, verborum jurgia, dein unus contra alterum præſidium & vires ſibi comparat, quò potentiùs contrà valeſcat, mox palàm motus, & in aperto micant arma, ut ſimul periculò tota Provincia reſque Principis involvatur, aut enim is

qui ſuccumbit, metu pœnæ deteriora molitur, *privata vulnera Reipublicæ malis operiendo*, ad hoſtes tranſit, inſtigat in arma vicinos Principes, occaſiones operit, ſuggerit occulta, ſtudium offert, præſertim ſi adſint vicini Principes, qui in occaſiones intenti, fomenta bello promptè ſubjiciant, *in turbido commodius* (ut ajunt) *piſcaturi*. Aut qui viribus præponderat, à confidentia potentiæ inſoleſcat, imò forſan ab æmulorum ruina, licentiam & auſum in altiora transferat. Sic Cæſar ſubverſo æmulo Pompejo, in Rempublicam involavit. Adde, ſi Miniſtri magnis Togæ aut Belli negotiis præſint, quæ niſi mutuo conſilio & ſtudiorum concordia (dum unus alterum juvat nec in diverſa trahit) rectè perficiuntur, quid ni officiat tunc diſſenſus? dùm unus alterum aut præcurrere, aut conſulto præpedire ſtudet, aut æmulatione rem diſtrahit, nec juvat, ut ideo res pacis & armorum, in deterius damno regni & Principis agantur. Potiùs conſultum ſit Principi maximæ prudentiæ loco habituro, ut ortas civium magnorum diſcordias, imò populi etiam diſſenſus, toto ſtudio componat pro authoritate; præſertim in Republica, ubi ſub nomine libertatis, civibus nonnihil plus licet; deputatis in eam rem probatæ virtutis miniſtris, extra privati ſtudii culpam poſitis &

boni

boni publici ſtudioſis, qui animos civium componant, tum advertant, ut amoveantur ſemina offenſarum, aculei linguæ, calami, & factorum noxa, pro exprobratione, jurgio, æmulatione aut litibus. Sic Principis ſecurior erit Majeſtas, nec caſura, niſi hi lapides diſtrahantur.

PERISTROMA XIV.



ERror errorem trudit, tum unus ex altero naſcitur, niſi abrumpas. Initium namque erroris, mater fœcunda eſt &

& occasio sequentis. Nullum verò remedium errorum efficacius dari potest, quàm *sponte cessare*, facile utique inceptum corrigas, nisi errare pergas, non enim alter exitus ejus viæ, quàm *cadere* est. Fallax eorum ratio, qui pro obstinata malitia, errores erroribus tuendos volunt, cùm potiùs labyrinthum sibi nectunt inexplicabilem, aut cudunt catenam, ligando sui & involvendis rebus eò accommodatiorem, quò longior repetitis nectitur annulis, quam breviorem utique esse præstaret, solvendo aut abrumpendo faciliorem. Quidam è vulgo perseverantiam in errore falsò constantiam vocant, cùm ea potiùs obstinata malitia sit; cessare deinde ab eo quod malum factu deprehenditur, non levitas est, sed potiùs virtus, & sibi potentis animi signum, qui non abripitur affectu, sed dominium in omnes habet. Sed tandem ut particulatim quædam memorem, seu in profundendis ultra in res frustra inceptas expensis, seu in continuandis offensis mutuis, cessatio magis quàm perseverantia securior est, velut in chartarum lusu, plus prosit infortunatis lusoribus cessatio, quàm ut pro recuperandis amissis insolentiori lusu & affectu abripiantur, & reliquum quod superest perdant: Item si haud rectè in consilium prolata advertas, corrige & meliora dein-

 ceps.

ceps, licet à prioribus diverſa loqui, non levitas, ſed conſtans ſibi prudentia eſt, in Bello etiam incepto, ſæpius fœdus, aut ſaltem in tutiora receptus proſit, quàm armorum vana oſtentatio, velut ille proborum Ducum, cùm ab imperitis rerum, falsò argueretur fugæ ex receptu, ingenuè reſpondit: *Non fugio, ſed quod retrò tutum eſt, ſequor*: Seu circa errores fidei plus proſit rubor & pœnitentia, quàm Syllogiſmus & argumentum ſtabiliendæ opinioni ad falſam oſtentationem prudentiæ, quæ non prudentia ſit, ſed potiùs obſtinata aut ingenioſa malitia, imo callida verſutia.

PE-

PERISTROMA XV.



EQuus paleis nutritus, non ſufficit nec durat longius ferendo labori, ſed niſi avenâ ſatur. Paleæ implent & diſtendunt

ventrem, ſed crura macilenta & pedes graciles reddunt, non enim ſolidum nutrimentum adferunt, nec vires falſitate cibi corroborant, etſi plenis vaſis vorandæ jumento ſubſternantur, pura avenæ grana licèt in minori quantitate, magis tamen eſſentiali nutrimento eduntur. Avaritiam & injuſtè collectas opes depingenti, non accommodatius occurrere potuit Symbolum. Colligit avarus opes, inſomnes ducit noctes, æſtuat, eſurit, rationes expenſarum ſcrupulosè conquirit, *fit ex Domino procurator*, imò ſucceſſoris rationarius, pauper tamen eſt, velut pulchrè in rem, Seneca: *Divitem credis? arca eſt*, quis plenis ſaccis invidit? quis loculis? habent, nec utuntur. Nec ſaturitatem equo à paleis, nec ſolidas auro opes dicas per illicita collectas, ſplendet opulentus? ſed ſuperne nec diu, lætatur, ſed lætitiâ falsâ; imò adſtructâ potius quàm ab intimo animo venienti, cingitur in tempus numeroſo comitatu? *mel muſcæ ſequuntur, lupi cadaver, frumentum formicæ, eſcam hæc turba comitatur non hominem*, adſunt Coloniæ, arces, ſplendidior gaza, ergóne ſolida hæc & ſucceſſoribus tranſmittenda dicas? palearum paſtus, non ſolidioris (ut ſic dicam) fortunæ cibus eſt, aut enim unica occaſione hæc amittantur, nec ad ſucceſſores veniant, aut ventura, haud duratura poſſeſ-
ſione

ſione acquirantur. Quis fures, quis publicos raptores, etſi ſuæ artes ſint illis quæſtui, quis veneficos (licèt à ſua magia & ſuggeſtu geniorum, alienæ avaritiæ opus, obrutos protrahunt loculos) vidit ſibi, ſuisque poſteris dites? *palearum paſtus* nec ſolidus cibus eſt, aut veriùs non ſincerus per virtutem, tùm pro æquitate labor; *quo plùs ſunt potæ, plùs ſitiuntur aquæ*, non extinguunt ſed augent ſitim, quia non ſolidi potus naturam ferunt. Miramur exinde Principum aut *Optimatum* dites gazas, ad poſteros haud durabili hæreditate tranſmiſſas, ut nulla nobiliori ad æſtimationem expenſa notæ, momento diffluerent, quia forſan alienus per iniqua extortus, non propriæ (per licita) induſtriæ, fuit labor, videlicet opes aut per injuſta bella & prædas, aut per oppreſſionem minorum collectæ, aut nummi è publico ære & quæſtu, tum per iniqua corraſi litigia. Æquior ſit ex virtute hæreditas, ſanctiori augurio comprobata. *Non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem.* Parva gaza, ſed hæredi certior, parva? verùm ſolida, dum per æqua media & felici operâ collecta, ut potius hanc malis modicè relictam, quàm illam in ſpeciem tumentem, ſed revera vacuam; Vis igitur eſſe dives, ſis juſtus, tua non dilapida, aliena non extorque, ora ſimul & labora, ſis in egenos

liberalis, publico bono haud parcus, sic amittendo felix posteris acquires, & dives eris.

PERISTROMA XVI.



SAlamandra igne nutritur, ſtruthioni ferri paſtus ſaluti eſt, nam illi & huic utraque pro natura ſunt, aut ſecus ſi convertantur in mollius nutrimentum, omnino ſint nocitura. Etiam populis quibusdam non pro natura aliarum Rerumpublicarum, ſed planè ab aliis diverſa gubernandi ratio, & conſilia ſuccedunt, licèt opinioni & uſurpatis vulgo inſtitutis contraria, ſed tamen quia naturæ ſuæ accommodata, ideóque conſervant ſtatum. Summæ ſit prudentiæ pro commodo ſui Regni conſulenti Principi, ut pro natura veterum inſtitutorum & morum populi (modò tamen virtuti in contrarium non abeant) edicta modumque regendi accommodet, neque in novitates ſit curioſus, licèt ſpecie meliores, ſed quia tamen ad earum uſum populi non ſunt accommodati, nam verè officiat magis ſtatui ea medicina, quàm proſit. Laudatur conſilium *Cleomenis* qui labenti Reipublicæ Lacedæmonienſium, non aliud ſubſidium tulit, quàm ut pro veteri more revocatis antiquis legibus & inſtitutis *Lycurgi*, naturæ ſuæ Rempublicam reſtitueret, amovendo uſum pecuniæ & demoliendo muros, quæ utraque pro antiquis inſtitutis habere non licuit, ſed quorundam novorum civium curioſitas, & ſpecioſa (ex mente ſua magis quàm pro natura ſtatus)

 ratio,

ratio, habenda ſuggeſſerat communiora quidem aliis populis & uſu receptiora, imò rationi magis conſentanea (cùm & munire ſua, & ærarium coacervare communis Rerumpublicarum ratio probet) ſed quia naturæ Lacedæmonienſium contraria, ideóque magis nocitura, quàm ut proficerent; ait Plutarchus in Cleomene. *Non multò pòſt Lacedæmonii cùm attigiſſent modò priſcam diſciplinam ejuſque veſtigiis inſtitiſſent, veluti præſente & gubernante Lycurgo, multa fortitudinis dedêre documenta, Principatum Græciæ recuperantes.* Sunt item populi, qui nec totam libertatem nec totam ſervitutem ferre ſciant, ideóque mediocritate regiminis probè eos habeas, tum alii, qui niſi Monarchica poteſtate regantur, inſoleſcant planè, hos libertate Ariſtocratica fruſtra indulgenter regas, niſi ut ſint Principi ſibique ipſis graves, non enim tam pretioſam ſciant vivere cum modeſtia libertatem. Dein alii ſunt, qui & in libertate nati, & nutriti, hanc loquuntur, eam amant, huic ſtudent, hanc niſi vivere ſciunt, Monarchiæ nomen odio habentes. Nec ideo minùs felix ſit Princeps ſi talibus præſit, ſi pro nativa libertate indulgentius habeantur, ducendo veriùs quò velit pro authoritate, quàm ut pro poteſtatis terrore impellat Populum, *velut generoſos eques*

mol-

mollio ri freno faciliùs recturus, trahis? mordent frenum; ducis? ſponte veniunt; impellis? recalcitrant; mulces? ad omnem nutum ſunt obediendo prompti; potenter inſtas? duri tractatu; ſuades? cicures ſunt, manſueti, regendo dulces. Quæ ſit aliorum populorum natura? pro ſe ipſi loquantur, pro meis Polonis dicere audeo, ſi molliùs, imò indulgentiùs, Parentis non herili poteſtate habeantur à Principe, tantùm illi venerationis & obſequii præſtant ad vota reſponſuri, quantum nec Monarcha per ſuperba juſſa & minas, obtineat à ſuis, licèt in parendi ſortem natis, unde non ex vano dictum, Regem Polonorum legibus aliàs circumſcriptum, tantum apud ſuos poſſe, quantum ſit dexter parandis civium animis, pro comitate, benignitate, pro magnitudine animi bello probata, pro juſtitiæ diſtributivæ æquitate, & per omnia in optimos cives gratia; Vult extraordinarias collationes populorum? habet. vult nova ſubſidia bello? habet. vult ingenuorum civium corpora & ſanguinem? ſpontè ſequuntur, idque ex amore ſuadentis Principis, non pro debito imperii; ejus inquam Principis, qui animos civium ſibi parare ſcit, dum eum nihil à legibus deviantem imò faventem libertati vident, vel ſecus dum advertunt libertatem populorum nauſeantem, his aut illis legibus

tùm moribus ſuccenſentem, faciles viceverſa ipſi ut ſuccenſeant Principi, diffidant, illata morentur pro *vetandi* libertate; per omnia velut ſpeculum oppoſitos colores, ſic illi virtutes, amores, inclinationes, etiam (pro natura vulgi) vitia quandoque ſuorum Principum repræſentant. Non diffitear, eſſe quædam in ſtatu noſtro inſtituta, ab aliis formis Rerumpublicarum diverſa, imò (ſine cenſura verbi dictum ſit) aliis planè contraria, ſed quia naturæ ſtatus & populorum accommodata, curioſius magis quàm pro recta ſuadentium prudentiâ immutentur, cum niſi invigilandum ſit, ne in pejus vergant, utique iiſdem inſtitutis pace & bello ſtetimus diu, nec (ſi aliqua inſint mala) in legibus malum illud eſt, ſed in nobis, noſmet potiùs correcturi, ne rebus abutamur, quàm ut inſtituta & leges corrigamus. Etiam ingenia ſingulorum noſcenda Principi, ut pro natura cujuſque adhibeat miniſtros rebus (prout multis hac de re alibi diſſeruimus) Princeps enim quiſque bonus, hortulanum agit, ut enim in hortulano eſt, ut herbas tum plantas pro natura cujuſque ſcitè ſerat, diſponat, tranſportet, inflectat, ſubſtratu fimi, aut rigatione foveat ne ſterileſcant, aliarum item (ſi nimiùm pullulando exuberent) ramuſculos amputando, aut ſuffulciendo, aut denique ut minus

minus profuturas & ſterileſcentes prorſus exſcindendo, hortum diligenter curet, ſic Princeps ingenia ſuorum alia mollius, alia durius oportet habeat, tranſportando de negotiis in negotia majora aut minora, prout rectius accommodantur, alia item gratiâ & munificentiâ juvet ne deficiant, ut exemplo munificentiæ Principis, reliqui in obſequium prompti ferantur; aut ſecus, aliis creſcendi occaſiones dempturus, ne inſoleſcant, pro natura quemque Miniſtrum habiturus. Verbo dicam velut in hortulano eſt, ut amœnitas & ſuus fructus ſit horto, etiam in Principe magis, quam in Civibus eſt, ut bonos aut malos miniſtros habeat, imò ut bonos reddat.

PERISTROMA XVII.



Optima *Festinatio*. ſed tamen aſſociata lenitati & circumſpectioni, etiam *lenitas* nimis tarda ſit nec affectu gaudeat, niſi

nisi cognatam habeat *festinationem*; Usitatum diu Lemma superponere mihi Symbolo placuit, nec novum addere, ut eò magis vis illius ingeratur oculis & menti Principis, ex familiaritate antiquæ vocis. Adest festinatio non sine tamen circumspectione, innuitur circumspectio, nec tamen sine verbo Festinationis, quasi unum sine altero haud rectè succedat, imò vitium sit, amoto rectè agendi temperamento, partim dum festinatio in præcipitantiam vertatur, partim si lenitas tarditatis nomen mereatur. Festinas in amicitiam alicujus parandam? fac lentè, ne pro levitate affectus in importunos amores præceps feraris, & te pœniteat paulò pòst admissæ amicitiæ intimioris & creditorum secretorum, sed proba priùs tempore amicum, an fidus, an constans, an tuus, non tuæ fortunæ amicus. Festinas in adipiscendum aliquid, fac lentè, ne vitio præcipitantiæ, magis impedias res tentando, quàm ut assequaris, sunt enim quædam res & negotia, velut vasa vitrea, quæ nisi lento & delicato tactu, apprehendi tum gestari possunt, imò nonnulla nocent magis & officiunt nobis adepta quàm si planè non obtineantur; aliquibus enim hominum inest falsus quidam in res appetitus, (velut medici in ægrotis observatum habent) ut sæpius cibos tùm potus nocivos con-

concupiſcant, qui non implent guſtum, ſed potius morbum augent, ſic quædam aut negotia, aut officia, aut amici, aut gradus fortunæ placent nobis & appetuntur, quæ conducibilius ſit non habere, quàm adipiſci, ut ea fortuna, infortunii loco cenſeri poſſit, nam aut inhabilitatem agendi pro nuditate virium & ingenii, aut tædium perſeverandi in nobis arguit; velut illi, ad opinionem magnitudinis profuiſſet inferioris fortunæ gradus, quàm ſi ſummam adipiſceretur, de quo Hiſtoricus obſervatum reliquit: *Dignus viſus fuiſſet imperio niſi imperaſſet.* Feſtinas (dico adhuc) ardentius laborare pro depellenda injuria, id ſuper omnia fac lentè, nec te affectus ducat ſed ratio, nonnulla tempus ſanat, quæ ratio aut vis non poſſet, aut ſecus remedio irritantur; quædam *injuriæ non tangunt, ſi non intelligantur.* Feſtinas (ut verbo claudam) ad mutandum ſtatum, ad faciendum aliquid circa te aut tuos, ad erogandum, ad demendum, fac lentè, omnes partes & circumſtantias circumſpice, aut deinde facturus? fac urgenter, vivaciter, non languidè, ne gratiam factorum amittas & agendi venuſtatem. Hæc in privatis; quid dicam in publicis? circa ſtatum negotiis moderandis, in perſonis, præmio, aut pœnâ, gratiâ vel gravitate habendis, in eligendis miniſtris, in pro-

proponendis materiis, in ſuadendo aut diſſuadendo, incipiendo aut finiendo, tum ſuper omnia, in ſocietatibus exterorum parandis, in fœderibus ſanciendis, in movendo bello, FESTINA LENTE, ut ſis circumſpectus, *bella incipere cuivis etiam ignavo licet, finire niſi cum Victor velit, principium in noſtra poteſtate, finem in Dei manibus eſſe*, ſæpe cùm aliquid acquirere volumus, noſtra potius perdimus, ut ſatius ſit pro ratione temporum, pauca amittere, quàm ut (pro paucis certando) totum amittatur, ſic aliquid perdere ne totum amittas, lucrum eſt. Adſint nobis per omnia negotia, pedes alati, celeriter conſulta exequendo, ſed tamen teſtudine lenta vehamur in deliberando, ne affectu in res ducamur, ſed ratione, nec initio res metiamur, prout ſe occaſiones offerunt, ſed præviſo fine, an poſſibile ſit adeptu; multis enim opus habemus quæ difficilia ſint aſſequendo, ideóque inconſultè cœptorum arguamur. Demum an ſit aliquid cum virtute conjunctum? an ad leges conſcientiæ compoſitum? videndum; cui bono ſerviant omnia? ſi offendant Deum, ſi implicent conſcientiam. Multa tempus ſponte adfert, multa ſanat, aliquibus rebus optimum remedium ex tarditate, præcipitantia cæca eſt, cùm eam falſo nomine feſtinationem vocamus,

verbo

verbo claudam, multa fuiſſent bona, ſed quia non ſecundum tempus ſed properanter aut præpoſtere incepta, evenêre peſſima.

PERISTROMA. XVIII.



FAlluntur Principes qui ſola opinione Majeſtatis & nomine Principis magnos ſe venditant, ſi abſit *virtus*, *alti* potiùs ſunt, ſed ab eminentia loci, non ipſi *magni*, niſi ſint cum virtute; *pigmæus in turri aut in monte, magnus eſt, ſi illum baſi ſua metiris; aufer baſim, parvus pumilio eſt: Coloſſum demitte in puteum, retinet tamen magnitudinem ſuam, ſic magni* virtute aut *alti* lòco diſtinguuntur per virtutem. Cupreſſus, ſuamet proceritas & venuſtas arguit, quod *Altum creſcant, cæterum ſteriles*, umbra forſan in æſtu proſit, aut detruncatus ſtipes igni vel ædificio: ſic aliquorum Principum niſi morientium fortuna proſit ſucceſſori, aut dum vivunt, ſolam umbram veri Principis ferunt, venuſtæ formæ & nullius fructus, pro adſpectu ſed non pro uſu virtutis accommodati; laudatur fœcunditas plantarum (ideóque appetitur & impenſiori cura in hortis fovetur) olivæ, pomorum, ficuum, Caſtanearum, à fructu magis aut ab utroque ſimul, quàm à ſola forma penſatarum. Si Princeps, nudo nomine Majeſtatis magnitudinem ſuam venditet? fallitur, niſi ſtudeat ſimul virtutibus Regis, Magnanimitati, juſtitiæ, clementiæ, populi ſui & ejus inſtitutorum amori, & per univerſum prudentiæ regnandi, ſeu ut infra Regum titulos abeam, ſi aliquis Civium quia purpuratus

puratus eſt, multo titulorum congeſtu nomen ſuum ſubſtruit, quia opima prædia, colonias, arces poſſidet, quia popularem auram falſa opinione virtutis aucupatus eſt, ſe ideo magnum venditat? non verò ut ſit boni publici (ultra reſpectus & rei privatæ amorem) ſtudioſus, Regi & Patriæ ſimul fidus, nulli gravis, ſed potius in minores patronus, erga Deum Religioſus, talem potius etſi ſit (è magnis) purpuratus, etſi ſenator, ſtatum ſenatoris, non ſenatorem voca, ac potius MAGNUM NIHIL, aſpectu Magnificum, rerum vacuum (velut *ſuper utrem inflatum*, Symboliſatione Polona alibi inſcriptum tulimus) Sciat igitur Princeps, ſe virtute ſola *Magnum* reddi, loco verò Principis Majeſtatis, *altum* dici, ab illa penſari & ponderari, ab hoc tantum ſuſpici. Virtutem potius amet, ne velut Cupreſſus ſit altus & ſterilis, aut velut ſylveſtres ficus, quæ licèt frugiferæ, dum ſuper inacceſſas rupes creſcunt, homines nulli de earum fructu participant, ſed corvi tantùm aut milvi: ſic Princeps (abſit) vanis tantùm adulatoribus, delatoribus leviculis, & per omnia malis, ſit uſui, bonis verò Civibus terrori & incommodo.

PE-

PERISTROMA XIX.




DUm Principis utilitati magis quàm ſcriptoris famæ ſtuderem, non ea conquiſivi quæ illatu nova & inaudita habean-

beantur, ſed potius, licèt dudum audita aut alibi lecta, in rem tamen optimè accommodata intuli, prout ad depingendam vim præſentis ſymboli, Curtii verbis uſus ſum: *Nihil tàm firmum eſſe cui periculum non ſit etiam ab invalido*. Natura ut argueret fortium potentiam, & admonet non inſolentis vitæ, minima & contemptibilia in terrorem oppoſuit magnis, ut forſan argueret non per omnia perfectæ & tandem ceſſaturæ fortitudinis. Elephantum naturæ indidit, ut murem timeant, Leonibus ut galli cantum formident, ferrum ut rubigo conſumat, tinea veſtem, vermiculus ſolidam ut corrodat quercum. Nec inter homines Principibus tum Optimatibus ſua magnitudo ſatis firma & ſecura eſt, præſertim ſi à virtute illi recedant, pro flagitio & contra inſtituta regnaturi, dum à tot manibus periculum ſibi metuere neceſſum habent, quot ipſi periculum ſunt. Sola innocentia ſecura, nec fert metum, Occupant ingreſſum arcium prætoriæ cohortes, excubant ad januas tricliniorum jurati janitores, cingunt latus nobiles aulici, ſi tamen multis à te periculum paratur; pervia hæc ſunt nec ſatis ſecura, *etiam manus eas, quibus te credidiſti, haud ſecurus aſpicies*, nota, occulta, parietes, anguli, tabulata, menſæ, pocula, ſomnus, vigilia, amici, liberti, mercenarii ſtipatores,

res,

res, periculum loquuntur, nisi amore habeantur sibi, sed metu contineantur. *Vitæ denique tuæ Dominus, quisquis contempsit suam.* Fallitur Princeps, si sola Majestate securum se credit, nisi suus thronus super amores civium sit fundatus, ut Patrem eum populi magis agnoscant, quàm Dominum, justum, clementem, munificum. Qui amor solus ante fores Principis si excubat, fidus Principis custos est, plus præsidii præstaturus, quàm stipatorum sarissæ, quàm sclopeta, quàm gladii, quàm demùm claustra & arces. (*alibi plura in eo diximus, hic verò dictum sufficiat*) Vis neminem Princeps timere, sis innocens, amari magis stude, quàm metui, gravitatem retine, promptus sis afflictis, aditu facilis, justitiæ & legum amator, Divinorum cultor, dein *Neminem time.*

PERISTROMA XX.



HUmana caduca ſunt, fragilia, nec Principes à mortis tributo immunes natura fecit, omnes contribuimus mortalitati,

tati,id modò distinguit,utrum intra famam recti aut infamiam malefactorum ad mortem transferimur, sola ex solidis *virtus* est, hæc vivit nec moritur, hæc vivorum famam loquitur, hæc mortuorum desiderium excitat in subditis, ut amissuros Principes doleant, aut præsentes ament, simul & revereantur. Rectè Seneca, *animum bonum* id est virtutis amantem vocavit, *Deum in humano corpore hospitem*. Regnandi igitur tempora virtutis magis quàm annorum numero Principes metiantur. Sat longa vita si plena est, apage cum inscriptione tumuli. *Mortuus hic septuagenarius, & nullum diem vixit*, sed titulus ille placeat. *Mortuus anno duodequadragesimo, & supra mille annos vixit*. Princeps ita vivat, ita rebus præsit, ut tandem Cedendum sibi Successori cogitet. Crasnè? vel posterius? non ad annos, sed ad nomen citamur, hic vivit Rex, hic Senator, ille Nobilis; minister status, Civis, Agricola, Liber, servus, omnes distincti pro statu vivimus, æquè ut homines morimur. Paret se cœlo & posterorum memoriæ Princeps, illa sola & unica Patria est, qui eam Princeps cogitat, felix sibi & subditis vivit, non enim nisi virtuosus sit oportet, qui huic meditationi incumbit, imò felix etiam moritur. Utinam felices sitis Principes, DEO & Patriæ, victuri; Cœlo morituri, imò sic tandem *Renascituri*.

FINIS.